Begemann, Henricus
Quaestiones Soloneae

# Programm

des

# Herzoglichen Gymnasiums

zu

# Holzminden.

Ostern 1875.

---

Inhalt:



Holzminden,
Buchdruckerei von A. W. Zickfeldt.
1875.


LIBRARY
AUG 1 - 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

# De Solonis Plutarchei fontibus et auctoritate.

De Solonis vitae Plutarcheae fontibus, ut omittam Heerenii [1]) et Haugii [2]) opuscula, qui olim via ac ratione nunc minus probata Plutarchi fontes, qui fuissent, exquirere studuerunt, cum nuper eodem anno 1867. p. C. n. duae dissertationes editae sint, quarum alteram Otto Keller [3]), alteram Rudolphus Prinz [4]) scripsit, facile quis mirabitur, quod denuo eandem rem fusius retractari supervacaneum esse non judicaverim. atenim reputanti perpaucis saltem, quid de illorum libris judicem, novae hujus quaestionis quasi excusandae causa praefandum esse, mihi contigit, ut de Kellero cum ipso Prinzio, de Prinzio cum alio viro docto consentiens eorum verba hoc loco possem referre. nam et Kellerum Prinzius dicit in p. 2. annotatione, ne sua dissertatio supervacanea esse videatur, nihil fere ad propositam quaestionem solvendam attulisse et Prinzium Ernestus de Leutsch in philol. vol. 31. p. 135. non solum in singulis rebus saepe errasse, sed etiam sententias suas raro argumentis certis demonstrasse ait. quod cum ita sit, illorum hominum doctorum opera quaestionem, quam denuo instituturi sumus, peractam non jam esse, ne quis neget, non metuo. at si consideraveris, quanti sit momenti in rebus Solonis perscrutandis Plutarchea vita, secundum ipsius carminum pauca fragmenta ad nostram aetatem tradita ac servata primus videlicet et praecipuus, unde hauriamus, fons: priusquam vera Solonis historia e fontibus via ac ratione critica eruta accuratius describi omnino possit, quid judicandum sit de singulis rebus, quae in hac vita narratae sint earumque origine atque auctoritate, certis argumentis statuendum esse haud dubie concedes. itaque ut ad componendam critica, quae nunc probatur, ratione Solonis vitam, quam universam et continuam accuratius describere post Meursii librum anno p. Chr. n. 1632. editum nemo adhuc conatus est, fundamentum quasi exstruatur, hanc novam de Plutarcheae vitae fontibus quaestionem instituimus ita ut et ea, quae Prinzius certo demonstravit, non repetam et quae

---

[1]) Heeren, de fontibus et auctoritate vitarum parall. Plutarchi commentationes IV., Gottingae 1820. — [2]) Haug, die quellen Plutarchs in den lebensbeschreibungen der Griechen. Tübingen. 1854. [3]) O. Keller über die quellen des Plutarch in der lebensbeschr. d. Solon. Saalfeld, 1867. — [4]) Prinz, de Solonis Plutarchei fontibus. Bonnae. 1867.

magis ipse statuit quam aliis probavit, si modo recte dicta esse videntur, certioribus argumentis confirmem, cetera refellam, a conjecturis vero, quae argumentis careant, plane abstineam.

Atque discrepabit haec disputatio a Prinzii eo, quod non fontium eorundem vestigia e toto libro collecta uno ordine conferam, sed singulorum deinceps fontes capitum Plutarchique in eis auctoritatem quaeram, ratus nimirum atque confisus fore sic ut cum certiora ac magis perspicua de singulis rebus statim judicia fiant, tum vero utiliora ad historiam construendam. sed priusquam ad id ipsum accedimus, nonnulla in universum disputanda sunt. etenim unum, quod Prinzius statuit, statim in exordio quaestionis refutare posse mihi videor. Plutarchum enim ille judicavit in componenda Solonis vita carminum Soloneorum collectione quadam usum esse, ex qua et ea, quae narraret, aliud aliunde hausisset et versus, quos afferret, narrationi inseruisset. quam Prinzii sententiam miror, quod etiam Aemilius Bohren in philol. vol. 30. p. 186. secutus est, nec quemquam nisi Leutschium in philol. vol. 31. p. 135. contra dixisse inveni. atenim quomodo Plutarchus libellos suos conscripserit, cum compluribus vitis ab hominibus doctis examinatis atque pervestigatis cognitum sit, tantum abesse, demonstratum est, ut ille de rebus antiquitus gestis acturus e commentariis sive ab ipsis, de quibus exponeret, sive ab eorum aequalibus scriptis, qui sunt quasi fontes et purissimi et tenuissimi, sua diligentissime eruendo repetiverit, ut — minus profecto difficile munus — et opera historici propria supersedens et eis, quae alii sua opera suisque studiis invenerant, usus, eos sibi plerumque auctores assumeret, qui res et quaerendo erutas et disserendo perpolitas tanquam praeparatas ei praeberent neque ita raro singula executi jam in aptam quandam vitarum formam redegissent. itaque ex ullis unquam carminibus quidquam eum eruisse ut per se minime verisimile est, ita, nisi forte gravissimis et certissimis argumentis probatum fuerit, statui non potest. quodsi in ipsa Solonis vita quae narrata sunt, magnam partem ex ejus carminibus derivata esse ad eaque confirmanda dumtaxat plerumque versus ipsos additos esse viderimus, non dubium erit, quin Plutarchus et versus ad narrationes confirmandas allatos et narrationes e versibus allatis derivatas, quoniam altera cum alteris arte cohaerent, ex uno eodemque fonte libroque rerum cujusdam scriptoris repetiverit. quod cum ita sit, neque ex integra Solonis carminum collectione neque e florilegio, quod statuit Niebuhrius [5]), Plutarchus versus Soloneos narrationi inseruisse, sed cum ipsa narratione aliunde decerpsisse putandus est. sed cujus rerum scriptoris libro sit usus, et unusne an complures ei universos praebuerint, cum ex ipsis versibus manifestum non sit, narrationum, quibus immixti sunt, ubi auctor quis sit quaeretur, infra fore ut appareat spero. hoc tantum addere jam liceat, sententiam Leutschii, qui Plutarchum e Didymi libro, qui aut *περὶ ἑπτὰ σοφῶν* aut *περὶ λυρικῶν* [6]) inscriptus fuit, versus Soloneos assumpsisse censet, nullam, quod videam, veritatis speciem habere, cum quod, eo pertineat, indicium reperire non potuerim. [7])

Missa igitur hac Prinzii sententiae parte, quod restat [8]): Hermippum Callimachium et Didymum Chalcenterum Plutarchi auctores fuisse et maxime quidem Hermippum, a quo

---

[5]) Niebuhr, vorlesung. über alte geschichte. I. p. 344. — [6]) philol. vol. 31. p. 135. [7]) Leutschius, qui Schmidtii Did. Chalc. fragm. coll. p. 386. et 372. affert, ejus sententiae, quam ille et his ipsis locis et in p. 379. sq. exposuit, verimile esse, non Chalcenterum Didymum hujus libri auctorem esse, sed Didymum, Heraclidis filium, qui Neronis temporibus floruerit, nullam habet rationem. [8]) Diog. I, 42.

quae tradita fuerint nonnullis tantum locis e Didymi libro quasi suppleta sint, omnino recte arbitror disputatum esse. quod ut aliis quoque quam maxime probem, hoc loco primum omnes, quos Plutarchus in vita Solonea nominatim attulit, auctores collatos oculis legentium subicere liceat. sunt autem hi: Androtio (c. 15.), Aristoteles (c. 11. 25. 32.), Demetrius Phalereus (c. 23.), Didymus (c. 1.), Heraclides Ponticus (c. 1. 22. 31. 32.), Hereas (c. 10.), Hermippus (c. 2. 6. 11.), Phanias (c. 1. 22. 32.), Polyzelus (c. 15.), Theophrastus (c. 4. 31.), [Aeschines (c. 11.), Euripides (c. 1. 22.), Homerus (c. 25.) Sophocles (c. 1.)]. de quibus quae huc pertinent cum Prinzius monuerit, nihil nisi haec addo. eorum aetate postremum, Didymum, Ciceronis aequalem, Plutarcho usui fuisse ut arbitrer, tribus maxime rebus commoveor, primum quod nullus scriptor, ut modo dixi, aetate posterior a Plutarcho ipso affertur, deinde quod nemo fere dici potest, cujus opera ut medii inter Didymum et Plutarchum quidquam Plutarcho tradi potuerit, denique quod Plutarchus in c. 1. Didymi, quo de Solone egerat, librum verbis, quae sunt *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος ἀντιγραφὴ πρὸς Ἀσκληπιάδην*, quibus inscriptus erat, ita affert, ut ipse eum inspexisse videatur. tamen Didymi liber, quippe quo Solonis de legibus copiose, de moribus et rebus gestis breviter et strictim ageretur, non ut praecipuus fons Plutarcho singula omnia, quae de ejus vita scripta legimus, suppeditare potuit. non licet igitur putare, quae tradidisset Hermippus, qui vitam Solonis non tam legum inventoris quam philosophi et principis [8]) quidem sapientium, qui proprie dicuntur, describendam sibi proposuerat, ea a Didymo in librum suum recepta eoque ad Plutarchum perlata esse. contra Didymus sine dubio aptiores ad id, quod voluit, fontes quam Hermippi librum sibi assumpsit veluti, ut unum dicam, Aristotelis, quem saepissime alias eum secutum esse inter omnes constat. nihilo tamen setius Didymus nonnulla, quae ad alias Solonis res pertinerent atque ad leges, et ea non ita breviter libro suo tractavisse videtur, quippe in quo de ejus patre sententiam Philoclis cujusdam, quem solum in illa re a consensu ceterorum omnium discrepare invenerat, referre non omiserit. ceterum de Solonis legibus, quem scripserat, librum eodem sine dubio omnia undique conferendi studio composuerat, quo in omnibus libris unus praeter ceteros excellebat. qua tanta ejus ex assiduitate et congerendi diligentia praeter multos alios [9]) etiam Plutarchus non solum in vita Solonis, sed etiam in symposio, quod inscribitur, tacitus utilitatem percepit.[10])

Aetate proximum Didymo Plutarchus affert Hermippum. is quae narraverat, ut per Didymum Plutarcho traderentur, cum fieri non potuerit, facile eo perducimur, ut ipsius Hermippi librum quoque Plutarcho Solonis vitam conscribenti ad manum fuisse sumamus. quod quidem ita se habere quoniam Prinzius luculenter singulis tractatis demonstravit, id tantum quaeritur, quibus locis quam late pateant in Plutarchea relatione Hermippi vestigia et quam vim Hermippus habuerit quidque contulerit ad Solonis res, quae ferebantur, memoriae tradendas; quae ab aliis acceperit, quae ipse addiderit, quae quaerendo ipse repererit, quae coniciendo excogitaverit. etenim Hermippus composuit librum, quem inscriptum fuisse verisimile est *βίοι τῶν ἐν πάσῃ τῇ παιδείᾳ διαλαμψάντων*. de quo libro ejusque auctore quae homines docti disseruerunt, si curas novisse, conferas quaeso: A. Lozynski, Hermippi Smyrnaei Peripatetici fragm. coll. disposita et illustrata. Bonnae. 1832. C. Mueller, fragm. hist. Graec. III. p. 35. Fr. Nietzsche, mus. Rhenan. vol. 24. p. 191. G. Gilbert, studien

---

[9]) v. M. Schmidt, Did. Chalc. fragm. coll. p. IX. — [10]) v. M. Schmidt, l. c. p. 330.

zur altspartanischen gesch. Göttingen. 1872. p. 97. sq. persaepe postea Hermippi liber, quem Callimachi magistri, qui dicuntur, πίνακας secutus in complures partes distribuerat, et ex quo tanquam uberrimo fonte hominum de artibus ac litteris bene meritorum res hauriri poterant, a rerum scriptoribus in alios libros transscriptus est; neque minime quidem ea pars, quae περὶ σοφῶν, et ea, quae περὶ φιλοσόφων inscribebatur. sed ut ipsum opus, ita omnes quasi transscriptiones perierunt praeter reliquias libri ab Hesychio Milesio conscripti, quae apud Suidam exstant, et eam, quae continetur Diogenis Laertii philosophorum vitis. quae, etsi Diogenes ipse Hermippo usus non sit, tamen vestigiis ejus usquequaque refertae sunt. in quolibet enim libro et quidem quadragies fere in toto opere Diogenes Hermippum sive ipso libro, in quo quid ille dixisset, accurate addito sive nomine tantum posito testem attulit, nec quin permultis etiam locis, nomine omisso, quae ex Hermippi opere profecta sint, cum ceteris contexta in Diogenis libris legantur, dubitari potest. neque vero unquam cuiquam continget, quae Hermippi sunt, ut certis finibus describat. nam si Diogenis fontium quasi seriem Nietzschius in mus. Rhenan. vol. 24. p. 207. recte statuit, — id quod de singulis rebus quidem dubium mihi videtur esse, — Hermippea non solum eo ordine, quo Hermippus, Demetrius Magnes, Diogenes alius alium sequantur, ad hunc perlata sunt, sed etiam quot eorum, quorum libris praeter Hermippum Demetrius usus est, post Hermippum floruerunt, ex hujus opere permulta hauserunt, veluti Sosicrates[11]), Satyrus, Sotio. denique etiam Favorinum, quem praeter Dioclem Diogenes assumpsit, ei iterum res novas ex Hermippeo libro primo profectas attulisse, demontratur loco, qui est apud Diogenem 5, 41., neque minus Diog. 3, 38. 39., ubi Favorinus — Hermippus — τινὲς — Antisthenes — Plato — Favorinus, et Diog. 5, 77. sq., ubi Favorinus — Hermippus deinceps relationum, quae narratae inter se subsequuntur, auctores nominantur. si variis igitur quasi viis Diogeneae narrationi Hermippea admixta sunt, quamvis difficulter a ceteris possint discerni, tamen nonnulla, quae ad Hermippum pertineant, posse cognosci jam Nietzschius monuit, veluti verisimile esse, omnes locos, quibus, quomodo philosophi mortui sint, narretur, Hermippo auctori deberi, utpote qui quindecim locis ejusdem rei testis allatus sit. sed jam eis, quae ille de universo Diogenis opere disseruit, hoc loco nihil addo nisi, quibus locis ea quae ad litteras librosque pertineant exponantur, eis persaepe Hermippi, quem Callimachi πίνακας secutum esse dixi, vestigia quaerenda, et ceteris praetermissis haud dubie versuum, quos quisque composuerit, numeros accurate allatos ad illum referendos esse moneo, veluti locos, quibus de sapientibus agitur, primi libri §§ 61. 68. 79. 85. 89. 97. 104.

Atque hic primus Diogenis liber, quo de sapientibus, qui proprie dicuntur, Soloneque exponit auctor, dignus est, quem etiam arcuratius inspiciamus. nam etiamsi Hermippea certa omnino ratione describi non posse iterum non profiteri non possum, tamen quid auctorum nominibus allatis verimile fieri posse mihi videatur omittere nolo. qua in re commemoratu satis dignum esse videtur, quod auctorum, qui post Hermippum fuerunt, in primo libro prae ceteris raro fit mentio, et rarissime eorum, quorum libri, cum multa undique contulissent, resecti et excerpti ad Diogeneum opus redacti sunt. Favorinus enim uno loco (1, 79), Diocles nullo, Demetrius Magnes 1, 38. 79. 112. 114. inveniuntur. ex ceteris nemo nisi Apollodorus quinquies, Sosicrates novies, Pamphile quinquies afferuntur. atque si paulo etiam progressi ipsam

---

[11]) cf. Diog. 1, 106.

Solonis vitam (Diog. 1,45—67.) perlegerimus, in ea Apollodorus et Sosicrates, Dieuchidas quidam et Dioscorides semel tantum singuli adhibentur auctores, qua re nihilne putas nos conjectura posse discere, praesertim cum ceteris in libris ingentem quandam testium et magnam quidem partem Hermippi aetate posteriorum multitudinem proferri videamus? immo cum in hoc primo libro tum maxime in vita Solonea Hermippeam narrationem, mutilatam illam quidem et valde diminutam sed tamen ceteris puriorem, paucis aliorum additamentis admixtis, servatam esse monemur. nam id fuisse omnino antiquorum rerum scriptorum proprium satis constat, cum diversos adhiberent auctores et, quae a singulis tradita essent, referrent, ut ipsos laudare solerent; sed eidem, cum unum eundemque auctorem longius sequerentur, ejus nomine addendo supersedere sibi licere putarent. itaque rerum quilibet scriptor cum plerumque, diversis libris perlectis, diversa auctoribus allatis referat, si idem per longiorem partem contrarium faciat, — id quod in primo libro, de quo agimus, et Diogenes et Diocles Demetriusque faciunt, — ex hac re primum quasi fundamentum purum neque aliorum additamentis coagmentatum servatum esse apparet. quam rem etiamsi per se non magni esse momenti judico, tamen cum et in Diogenis libro et in Plutarchi vita Solonea inesse quaedam ab Hermippo exorta omnino constet, ne quis neget, timendum non est, de quibuscunque singulis rebus Diogenes et Plutarchus eadem referant, eas ex Hermippeo opere repetitas esse maxime esse probabile. atque hanc probabilitatem, si accesserint aliae causae, quibus in eandem sententiam impellamur, ad eam, quae omnino in rebus antiquis perscrutandis esse possit, fidem ac veritatem perductum iri puto.

Sed haec hactenus de Hermippo. qui autem auctores praeter Didymum et Hermippum aetate omnes priores a Plutarcho in vita Solonea nominatim laudantur, eorum quoquam ipsum usum esse cogitandum non est. nam singula tantum ex eis affert, quae cur non aut per Didymum aut per Hermippum tradita esse censeamus, nihil causae habemus, quin etiam per eos tradita esse haud ita raro statuere nexu sententiarum cogimur. itaque nisi forte infra, cum singula tractabimus, alios etiam scriptores, quos non nominavit, Plutarchum secutum esse viderimus, ex Hermippi et Didymi libris totam Plutarchi vitam contextam esse Prinzium suo jure dixisse statuendum videtur. quod quomodo se habeat, ut intellegatur, jam ad singula tractanda accedamus.

Ac de fontibus primi capitis, quo et de parentibus Solonis agit auctor et quomodo Pisistrato usus sit narrat, praeter ea, quae Plutarchus ipse aperte docet, certi quidquam afferri vix potest. videtur enim sicut in principio vitae Lycurgeae aliarumque, ita hoc ipso loco res diversas ex diversis libris haustas conjunxisse Didymeaque et Hermippea inter se commiscuisse. verba enim illa *ἐν ᾗ τὸν Σόλωνα πατρὸς Εὐφορίωνος ἀποφαίνει παρὰ τὴν τῶν ἄλλων δόξαν, ὅσοι μέμνηνται Σόλωνος* documento sunt: etiam ea, quae sequuntur usque ad *ἀνέκαθεν*, ex Didymi libro esse desumpta. quod vero ad verba *μέσος τῶν πολιτῶν οὐσίᾳ καὶ δυνάμει* attinet, haec Didymum ab Aristotele repetivisse suspicor, qui Solonis carmina secutus eadem tradidit.[12]) eandem autem Solonis *μεσότητα*, quae dicitur, cum etiam Hermippum praedicasse idque ita, ut eam non solum in re familiari civiumque auctoritate, sed etiam in moribus Solonis apparuisse diceret, infra demonstraturus sim, hac re

---

[12]) Aristot. Pol. 4, 11. p. 1296. p. 18: *σημεῖον δὲ δεῖ νομίζειν καὶ τὸ τοὺς βελτίστους νομοθέτας εἶναι τῶν μέσων πολιτῶν. Σόλων τε γὰρ ἦν τούτων. δηλοῖ δ'ἐκ τῆς ποιήσεως.*

ab utroque narrata factum est, ut, quae diversi praebebant auctores, Plutarchus facilius conjungere posset. quod autem Plutarchus Heraclidem Ponticum narravisse adicit, matrem Solonis et matrem Pisistrati eodem sive patre sive matre natas esse, ne id quidem hoc loco, unde sumpserit, decerni potest, nisi forte Plutarchum id ex ipso Heraclidis libro non petivisse jam concedis. neque vero inde quidquam colligi potest, quod, qua affinitate conjuncti fuerint, accuratius Plutarchus narrat, quam Diogenes, quippe qui Sosicratem secutus eos cognatos fuisse dicat (1, 49.). nimirum etiamsi Sosicrates ex Hermippo quaedam delibaverit, tamen et ea, quae Diogenes referat, a narratione Plutarchi discrepare, et verbis, quibus usus sit Diogenes, parum definitam contineri illius necessitudinis descriptionem, statui potest. quae utcunque se habent, cum certum judicium fieri non possit, Plutarchus, ex quo fonte Heraclideum illud hausit, ex eodem sine dubio etiam, quae sequuntur, quibus refert, quomodo Pisistrato Solo usus sit, hausit. neque vero respici in eis nunc quidquam voluerim nisi verba *πρὸς τοὺς καλοὺς οὐκ ἦν ἐχυρὸς ὁ Σόλων οὐδ᾽ ἔρωτι θαῤῥαλέος ἀνταναστῆναι*, quibus *ἔκ τε τῶν ποιημάτων αὐτοῦ λαβεῖν ἔστιν* adduntur, et fusiorem quandam Soloneae legis circumscriptionem. quae si memoriae infixa tenueris, ea, quae hoc capite narrantur, ex diversis fontibus i. e. ex Hermippeo et Didymeo desumpta et mixta esse jam infra fore spero ut concedas. quae autem in extremo capite de Charmo ejusque amatore Pisistrato addita sunt, quia neque ad rem, de qua agitur, pertinent neque cum eis congruunt, quae Athen. 13, p. 609. C. et Paus. 1, 30, 2. de eadem re narrant, a Plutarcho memoriter allata esse Prinzius (p. 42.) jure conjecisse videtur.

Caput alterum et tertium praeter eam partem, quae pertinet in c. 2. a verbis *κωλύει δὲ* usque ad *ἐν Αἰγύπτῳ γενέσθαι*, ita comparata sunt, ut quaecunque eis narrantur, carminibus Soloneis nitantur versibusque ipsis, certissimis sane et integerrimis quasi testibus, referta sint ac repleta. atque tam arte res, quae narrantur, et versus allati inter se cohaerent, ut Plutarchum aut e carminibus ipsis ea diligentissime eruisse aut et versus et orationem ex uno eodemque auctore transscripta libro suo inseruisse statuendum sit. qua de re quid judicandum sit, atque quae quomodo a quo et hausta e carminibus et inter se conjuncta sint, ut appareat, singula accuratius recenseamus. atque cum et Solo ipse peregrinantem Athenis se afuisse non uno loco carminum commemoravisset et ex eisdem carminibus appareret, eum neque divitem et cognitionis augendae cupidum fuisse, factum est, ut rerum scriptores eum itinera et quaestus lucrique faciendi et cognitionis scientiaeque augendae causa suscepisse opinarentur. sed quoniam mirum esse videbatur, quod homo summo loco natus rerum inopia ad mercaturam faciendam peregre proficisci coactus esset, ejus rei causam ut quaereret, doctus aliquis facile incitabatur. qui idem cum secum reputaret, Solonem, quippe qui summa probitate prudentia moderatione floruisset, rem familiarem ipsum perdidisse putari non posse, patrem ejus et ipsum bonum virum et benevolum eam in civium suorum commodis augendis consumpsisse (*εἰς φιλανθρωπίας τινὰς ἐλαττώσασθαι*) conjecit. dignum profecto, quod commemoretur, historiae non dico eruendae, sed confingendae exemplum, cujus auctoris quod Plutarchus hoc ipso loco tradidit nomen, jure valde gaudemus. Hermippus enim et illi hanc facetam lepidamque narratiunculam, inventam quidem, praebuit et nos, quam rerum scribendarum rationem secutus sit, primo, quo quam certissimis ejus vestigiis occurrimus, loco luculentissime edocet. eundem vero etiam aliorum, quam Plutarchus affert, sententiam (*καίτοι φασὶν ἔνιοι*), qua cognitionis et scientiae studio ductum patriam eum reliquisse appareret (*πολυπειρίας ἕνεκα μᾶλλον καὶ ἱστορίας*), si sumo Plutarcho praebuisse,

non metuo, ne quis me non errare neget, qui, quid jam alii de Hermippi scribendi ratione disseruerint, compertum habeat. maxime enim is aliorum diversas sententias colligere, modo in unum varias conjungere, modo aliam cum alia referre studebat, cujus rei nobis paulo infra satis perspicua exempla occurrent. profectus autem ab illa aliorum sententia laudat auctor Solonis sapientiae studium, quod divitiarum studio semper eum anteposuisse carminibus probetur. deinde verbis, quae sunt *ἀλλ᾽ ἑτέρωθι λέγει· χρήματα δ᾽ ἱμείρω μὲν ἔχειν κτλ.*, ad priorem sententiam revertitur. haec igitur quia cum eis, quae in initio capitis antecedunt, arte cohaerent, ad eundem, cui ipse Plutarchus illa se debere ait, ad Hermippum auctorem referre non dubito. jam vero sequitur de quaestu ac mercatura disputatio, quae cum paulo latius pateat, haud scio an jure eam Prinzius a Plutarcho ipso additam variisque exemplis satis neglegenter expositis [13]) memoriter exstructam esse judicaverit. memoratu quidem dignum videtur, quod, quae *ἐμπορία* dicitur, de ea ipsa hoc loco agitur et quod *ἐμπορίαν* a Thale factam esse etiam ab Hermippo traditum est [14]) et quod Thalem, Hippocratem, Platonem Plutarchus mercaturam fecisse dicit, quorum res in opere Hermippeo sine dubio narratae exstabant. sed cum, quae narrantur, ad Solonem, quo de agitur, minus pertineant, haec in medio nunc relinquo.

In capite 3. Hermippi vestigia magis iterum perspicua inveniuntur. nam tota illa narratio inde proficiscitur, quod Solo *τὸν βίον ἐμπορικόν*, ut Graeca servemus verba, egerit. quod quoniam Hermippus Plutarcho tradiderat, verbo *οἴονται* illum auctorem significari cogitandum est. altera vero hujus capitis sententia, ex qua magis pauperem quam divitem se Solo judicaverit, ad id ipsum pertinet, quod et Hermippum narrasse Plutarchus confitetur et nobis eum invenisse persuasum est. iterum vero hoc loco ex Hermippi libris sine dubio orto cum carmina Solonis omnia commemorantur (*ἐν ποιήμασι διαλέγεσθαι*) tum nonnulli versus ad verbum afferuntur, quam ob rem quin ille poematis Soloneis ad historiam eruendam usus sit jam dubitari nequit. atque denuo versus ad ea, quae narrantur, confirmanda occurrunt in ea, quae sequitur, de poesis et philosophiae studio Solonis disputatione, quam ex eodem Hermippo derivatam esse, — ut sententiarum, quae antecedunt, cum eis, de quibus agimus, connexum ipsum satis valere non dicam, — eo verisimile fit, quod ea prorsus redolet id opus, quo philosophorum sapientiumque tractata erat historia. vide modo quae sunt: *γνώμας ἐνέτεινε φιλοσόφους* sc. *τοῖς ποιήμασιν*, deinde *φιλοσοφίας δὲ τοῦ ἠθικοῦ μάλιστα τὸ πολιτικόν, ὥσπερ οἱ πλεῖστοι τῶν σοφῶν* [15]), denique *καὶ ὅλως ἔοικεν ἡ Θάλεω μόνου σοφία τότε περαιτέρω τῆς χρείας ἐξικέσθαι τῇ θεωρίᾳ. τοῖς δὲ ἄλλοις ἀπὸ τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς τοὔνομα τῆς σοφίας ὑπῆρξε.* quae cum ita sint, si caput 2. et 3. praeter parvam aliquam partem (*κωλύει ..... διάθεσιν γενέσθαι*) jure Hermippo auctori tribui, hac re non solum, quod supra dixi, Hermippum e Solonis carminibus tanquam uberrimo fonte hausisse, sed etiam eorum fragmenta ex Hermippeo libro aliqua saltem ex parte Plutarchum accepisse demonstrasse videor. quod autem mirum in modum fr. 9. et 12. (B.) in capite 3. conjuncta esse homines quidam docti monuerunt,[16]) id ab ipso Hermippo factum esse ut censeamus, haudquaquam cogimur, cum Plutarchum eorum librorum, quos sequeretur, partes complures interdum in unum contraxisse, infra futurum sit, ut comprobetur. tamen equidem cur illam versuum

---

[13]) Prinz, l. c. p. 23. [14]) v. Prinz, l. c. p. 23. sq. [15]) Hermippus 17 sapientes enumeraverat. Diog. 1, 42. — [16]) v. E. v. Leutsch, l. c. p. 136.

conjunctionem Hermippo non tribuam, nihil habeo. at satis notabile esse mihi videtur, quomodo his versibus usus vel potius male abusus ille sit. nexu enim sententiarum neglecto id unum agere eum videmus, ut ex singulis carminum verbis quam plurimam ac diversissimam materiam ad fuse narrandum sibi pariat. quod quidem recte a me dici ut concedas, conferas etiam ea, quae sunt in c. 2. *χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν*, in quibus id, quod significare videtur, cum verbis *ἀλλ' ἑτέρωθι λέγει* ea inducit, minime inest.

Quoniam igitur capitum alterius et tertii auctorem Hermippum fuisse ex ipsa narratione Plutarchea cognovimus, nunc quidem eorum, quae de Diogene supra dixi, rationem haberi voluerim. etenim quod primum in c. 4. sapientes et Delphos et Corinthum convenisse narrat, idem refertur a Diogene 1, 40., qua ex re Hermippum et Plutarchi et Diogenis hujus rei auctorem fuisse probabile est. neque inveniri potest, cur, quem antea secutus sit, hoc loco reliquerit, praesertim cum haec res, de qua agitur, sit earum, quae libro Hermippeo *περὶ σοφῶν* inscripto maxime tractatae sint. atque idem dicendum est de ea, quae sequitur, narratione, qua tractatur *ἡ τοῦ τρίποδος περίοδος*.

De hac lepida fabula Hermippum talium videlicet rerum consectatorem studiosissimum fuse lateque dixisse ipsa copia et quasi silva earum, quas praebet Diogenes [17]), de eadem re relationum indicatur, quae diversis locis patriae celebrandae quodam studio diversae circumferebantur. quarum auctores a Diogene nominati omnes ante Hermippum fuerunt. nominantur autem Callimachus, Hermippi praeceptor, Eleusis, Alexander Myndius, Eudoxus Cnidius, Euanthes Milesius, Daedalus Platonicus, Clearchus, Andro, Phanodicus. neque Plutarchus se illius auctoris libro usum esse in extremo capite non ostendit, cum multas et varias de eadem re narrationes in eo libro, quem sequebatur, exstitisse indicat [18]). sed tantum aberat, ut omnes referendas sibi esse putaret, ut eam, quam narrabat, circumscriberet atque in angustius contraheret. quod ex Diogenis libro intellegi potest, qui 1, 32. pleniorem eandem relationem praebet, ceteris postpositam et vocabulis *ἄλλοι φασὶν* inductam, quibus Plutarchea: *ταῦτα μὲν ὑπὸ πλειόνων τεθρύληται* respondere putaverim. Plutarchum enim comparatione instituta videmus et pro Lebediis, quos contra Coos a Milesiis, a quibus illorum colonia condita erat, auxilium petivisse Diogenes narrat, ipsos brevitate quadam Milesios dixisse et, quae oraculo illo a Diogene allato continerentur, quo commota Helena in mare tripodem deiceret, prorsus omisisse. quae cum nihil valeant, discrepantia tamen quaedam Plutarchi et Diogenis eo contineri videtur, quod Thalem Diogenes Apollini Didymaeo, Plutarchus Ismenio tripodem consecrasse dicit. etenim quamquam non intelligitur, ob quamnam causam Thebas ad Ismenium Appollinem missus esse dicatur, tamen haec relatio propter id ipsum antiquior, a qua Diogenes recesserit, judicanda est. neglegentia vero aut Diogenis aut alius, qui ei Hermippea praebuerat, factum esse mihi videtur, ut pro Ismenio, qui cur munere donatus esset, aegre intellegeretur, Didymaeum scriberet, quem et tripode donatum esse credibilius esset et Bathyclis poculum accepisse a Callimacho narratum esset ita inscriptum: „*Θαλῆς Ἐξαμίου Μιλήσιος Ἀπόλλωνι Διδυμαίῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον δὶς λαβών.* [19]) hanc autem Callimachi narrationem etiam in fonte, quo Plutarchus caput

[17]) Diog. 1, 28. sq. — [18]) *Θεόφραστος δέ φησι . . . . ταῦτα μὲν οὖν ὑπὸ πλειόνων τεθρύληται . . . αἱ μὲν φιάλην . . . . οἱ δὲ ποτήριον . . . λέγουσιν.* Plut. c. 4. — cf. quae de auctoribus ab Hermippo nominatim allatis Gilbert, l. c. p. 97. disseruit. [19]) Diog. 1, 29.

4. scribens usus est, exstitisse comprobatur extremis ejus verbis, quae sunt *οἱ δὲ ποτήριον Βαθυκλέους ἀπολιπόντος εἶναι λέγουσιν.* neque igitur jam dubium esse puto, quin quartum quoque caput ad Hermippum auctorem referendum sit. quod quidem ita esse affirmatur etiam eo, quod quin quintum et sextum capita eidem tribuenda sint, dubitari omnino nequeat.

Caput enim sextum, quo de Solonis cum Thale colloquio agitur, se ab Hermippo accepisse ipse Plutarchus in extremo capite addit, cum dicit: *ταῦτα μὲν οὖν Ἕρμιππος ἱστορεῖν φησι Πάταικον, ὃς ἔφασκε τὴν Αἰσώπου ψυχὴν ἔχειν.* neque minus certo, si modo Diogenis ratio erit habita, judicari potest de dimidia saltem quinti capitis parte, cujus singula fere verba congruunt cum eis, quae Diogenes (1, 101.) ab Hermippo tradita esse profitetur. compares velim haec eorum verba:

Plut. *Ἀνάχαρσιν μὲν εἰς Ἀθήνας φασὶν ἐπὶ τὴν Σόλωνος οἰκίαν ἐλθόντα κόπτειν καὶ λέγειν, ὡς ξένος ὢν ἀφῖκται φιλίαν ποιησόμενος καὶ ξενίαν πρὸς αὐτόν. ἀποκριναμένου δέ τοῦ Σόλωνος ὡς οἴκοι βέλτιόν ἐστι ποιεῖσθαι φιλίας „οὐκοῦν“ φάναι τὸν Ἀνάχαρσιν „αὐτὸς ὢν οἴκοι σὺ ποίησαι φιλίαν καὶ ξενίαν πρὸς ἡμᾶς. οὕτω δὴ θαυμάσαντα τὴν ἀγχίνοιαν τοῦ ἀνδρὸς τὸν Σόλωνα δέξασθαι φιλοφρόνως.*

Diog. *Ἕρμιππος δὲ πρὸς τὴν Σόλωνος οἰκίαν ἀφικόμενον τῶν θεραπόντων τινὶ κελεῦσαι μηνῦσαι, ὅτι παρείη πρὸς αὐτὸν Ἀνάχαρσις, καὶ βούλοιτο αὐτὸν θεάσασθαι, ξένος τε, εἰ οἷόν τε, γενέσθαι. καὶ ὁ θεράπων εἰςαγγείλας ἐκελεύσθη ὑπὸ τοῦ Σόλωνος εἰπεῖν αὐτῷ, ὅτιπερ ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσι ξένους ποιεῖσθαι. ἔνθεν ὁ Ἀνάχαρσις ἑλὼν ἔφη νῦν αὐτὸν ἐν τῇ πατρίδι εἶναι καὶ προςήκειν αὐτῷ ξένους ποιεῖσθαι. ὁ δὲ καταπλαγεὶς τὴν ἑτοιμότητα εἰσέφρησεν αὐτὸν καὶ μέγιστον φίλον ἐποιήσατο.*

quae autem in capite quinto restant, quoniam et cum eis, quae antecedunt, arte cohaerent pertinentque ad Anacharsim et media inter Hermippea posita sunt, et quoniam praeterea eorum nonnulla ut a Plutarcho ita a Diogene traduntur, eidem auctori eodem fere jure, quo cetera, tribuuntur. namque illud de Graecis dictum: *λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ παρ' Ἕλλησι, κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς* apud Diogenem 1,103. invenitur, et quod antecedit: *τὰ γράμματα μηδὲν τῶν ἀραχνίων διαφέρειν κτλ.*, item apud Diogenem 1, 38. scriptum videmus. a Diogene quidem alterum Soloni ipsi, a Plutarcho Anacharsi attribuitur. sed hoc nihil ad rem, quoniam Diogenes, id quod persaepe ei accidit,[20]) neglegentia ductus sine dubio erravit. totum igitur quintum caput sextumque Hermippo deberi pro certo est. quod ita demonstratum jam esse singularis cujusdam momenti ob eam etiam causam est, quia dicta quaedam, quae *ἀποφθέγματα* Graece dicuntur, in eis referuntur. nam ea hoc loco ex libro historici cujusdam, quem secutus est, non ex ulla collectione, quam aut ipsum fecisse aut ab alio accepisse homines docti statuerunt, a Plutarcho desumpta esse apparet.

Caput septimum praeter unum illud, quo Thalem sororis filium adoptasse auctor dicit, quod etiam apud Diogenem 1, 26. reperitur, nihil nisi Plutarchi de bonorum possessione cogitationes continet, quas Thalis dicto annexas suas esse satis aperte indicat verbis, quae sunt: *καὶ ταῦτα μὲν ὡς ἐν παρόντι πλείονα τῶν ἱκανῶν.*

Quoniam igitur Hermippi librum per sex fere capita Plutarchi fontem fuisse vidimus, num in ea quoque, quae sequitur, parte, qua de expeditione Salaminia agitur, ejus vestigia

---

20) v. p. 10.

insint, ut quaeramus, cum re ipsa commoveamur: primo aspectu mirum quantum eam cum eis, quae Diogenes (1, 46. sq.) tradidit, congruere cognoscimus. nam primum Plutarchi narratio cum Diogenea congruit eo, quod ab utroque certa aliqua res refertur, quae quamquam haud ita pauci rerum scriptores bellum ab Atheniensibus Salaminis insulae recuperandae causa factum narratur, tamen a nullo praeterea commemorata est. soli enim Plutarchus et Diogenes conjunctis, quae diversissimae exstabant, duabus relationibus Solonem, ut bellum contra Megarenses renovaretur, cum ad populum ferre lege prohibitus esset, carmen, quo cives adhortaretur, recitaturum se et mente alienatum et praeconem missum esse simulasse tradunt, quo nihil sane absurdius narrari potuit[21]. sed quia alio loco*) de hac re pluribus disseram, nihil jam addo nisi haec duo conjuncta sine dubio et Diogenem et Plutarchum ex uno eodemque fonte et ex Hermippo quidem accepisse. deinde autem pariter et Plutarchus et Diogenes cum Solone duce[22] Salaminem insulam expugnatam tum Lacedaemoniis arbitris bello composito cum Megarensibus pacem factam esse tradunt. quodsi Diogenes, — qui suam excerpendi rationem secutus breviter de hac re agit neque quidquam paene nisi ea, quae ab Atheniensibus in judicio prolata sint, affert, — de antiquorum corporibus sepultis contrarium Athenienses dixisse narrat ac Plutarchus, id iterum neglegentia quadam ductus ille scripsit, quippe quem errasse demonstretur oraculo a Plutarcho in capite 9. allato, ubi *οἱ φθίμενοι δέρκονται ἐς ἠέλιον δύνοντα* verba leguntur.

Praeterea autem in prima et extrema parte ea, de qua disputamus, duae res inveniuntur, quibus Hermippum auctorem esse singulariter probatur. primum enim verbis illis, quae sunt in capite 8.: *τοῦτο τὸ ποίημα Σαλαμὶς ἐπιγέγραπται καὶ στίχων ἑκατόν ἐστι χαριέντως πάνυ πεποιημένον*, cum Prinzius (l. c. p. 18.), cujus opinionem probavit Bohrenius (l. c. p. 186.), Plutarchum integra Solonis carmina in manibus habuisse demonstrari arbitratus sit, equidem contrarii argumentum contineri puto. an censes Plutarchum, cum nunquam fere e praecipuis ac primis fontibus magna opera sua res conquisiverit, hoc loco elegiae versus, quippe quorum numeri in margine ejus libri, quo uteretur, non ut in nostris editionibus additi essent, ipsum numerasse eorumque numerum tanquam maxime memorabilem narrationi inseruisse? immo Plutarchus in auctoris sui libro ipse paucos tantum versus invenit neque quidquam de Solonea elegia cognovit, praeterquam quod nobis tradidit: *Σαλαμὶς ἐπιγέγραπται καὶ στίχων ἑκατόν ἐστι χαριέντως πάνυ πεποιημένον*. quod quidem ex quo fonte ortum sit, haud difficili conjectura colligi posse videtur. nam si quidem omnia ejusmodi, quae tradidit Diogenes, a Callimachi tabellis quae dicebantur profecta esse recte exposui, haec quoque ab eodem repetita per Hermippum, utpote qui illas secutus opus suum composuerit, ad Plutarchum translata esse

---

[21] Plut. *ἐσκήψατο μὲν ἔκστασιν τῶν λογισμῶν καὶ λόγος εἰς τὴν πόλιν διεδόθη παρακινητικῶς ἔχειν αὐτόν, .... ἐξηπήδησεν εἰς τὴν ἀγορὰν ἄφνω πιλίδιον* (?) *περιθέμενος .... ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθον ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε τὴν ἐλεγείαν, ἧς ἐστιν ἀρχὴ κτλ.* Diog. *οὗτος μαίνεσθαι προσποιησάμενος καὶ στεφανωσάμενος εἰσέπαισεν εἰς τὴν ἀγοράν. ἔνθα τοῖς Ἀθηναίοις ἀνέγνω διὰ κήρυκος* (quod ita Diogenes scripsit, nihil ad rem) *τὰ συντείνοντα περὶ Σαλαμῖνος ἐλεγεῖα.*

[22] Diog. l. 46. *ἐνίκων διὰ Σόλωνα.* Plut.: *ἥπτοντο τοῦ πολέμου προστησάμενοι τὸν Σόλωνα.*

*) In altero harum quaestionum specimine, quod ne nunc una cum hoc ederem prohibitum me esse doleo.

recte suspicamur. alterum vero Hermippeae narrationis indicium, quod in extrema ea parte, de qua agitur, exstare modo dixi, inest in verbis, quae in capite 10. scripta videmus: *ταύτην τὴν δίκην ἐδίκασαν Σπαρτιατῶν πέντε ἄνδρες Κριτολαΐδας, Ἀμομφάρετος, Ὑψηχίδας, Ἀναξίλας, Κλεομένης*, et eo quidem, quod quinque arbitrorum Lacedaemoniorum ipsa nomina afferuntur. quod quo jure a me dicatur, quamquam ne quis primo aspectu miretur timeo, tamen his nominibus allatis contineri putaverim proprium quiddam ejus auctoris, cujus genus narrandi artificiosum aptissime cum nostratium eis narrationibus comparetur, quae, licet quodammodo quidem historiam imitando referant, nihilo tamen setius Romanenses, ut ita dicam, appellantur fabulae. quis enim est quin noverit, quanti momenti sint ipsa nomina in omnibus rebus et narrandis et credendis? namque ut ambulantes montium fluminum, urbium vicorum, florum stellarum, quae animadvertimus, nomina novisse studemus, quasi eis cognitis res ipsae magis cognoscantur, ita in vita cotidiana nomina eorum hominum, quibuscum congressi sumus, si qua re nobis aut placuerunt aut displicuerunt, ob eandem causam maxime nosse cupimus. pariter vero libros cum legimus, ei homines, quorum nomina dicuntur, sive delectationem sive misericordiam multo facilius nobis movere solent, quam quorum nomina non afferuntur. quod maxime pertinet ad eos, qui quid insigniter aut gessisse aut passi esse narrantur. itaque evenit, ut ea narratione, qua omnibus et rebus et hominibus nomina imposita sint, multo magis faciliusque teneamur quam qua omittantur; acceditque, ut narratio ita instructa, etiamsi ficta sit, multo majorem habeat speciem veritatis. mirum igitur quantum in omnibus rebus narrandis nomina valere cum nemo non cognitum habet, tum bene apteque libro, qui nuper in manus meas venit, Ernestus Eckstein disseruit.[23]) quod ita esse cum Hermippus quoque intellexisset, sicuti et ei, qui aptas ad legentium animos delectandos fabellas scribunt, personas etiam minores nominatim plerumque inducunt et ei, qui fabulas narrant, si quando cujus nomen exiit memoria, ad audientium mentes alliciendas aliud celeriter fingunt, ita ipse quoque, ubi complures homines una aliquid gessisse narrat, singulos, sive nomina ab aliis tradita accepit sive, id quod saepius factum esse verisimile est, ipse excogitavit, nominatim appellasse videtur. ac contigit nobis, ut unum saltem ejusmodi exemplum a Plutarcho traditum afferre possemus. is enim in vitae Lycurgeae capite quinto narrat, ex triginta viris, qui a Lycurgo, ut leges suas invitis Lacodaemoniis vi perferret, armati et postea senatores facti esse dicebantur, viginti Hermippum nobiliores nominatim attulisse. quorum nomina ab eo ficta esse jam Odofredus Mueller[24]) suspicatus est. neque equidem dubito, cum consuetudinis illius Hermippeae unum exemplum illo loco servatum sit, quin multa in ejus libris fuerint. quod cum ita sit, cetera, quibus eo ducimur, si respexeris, verisimillimum esse concedes, etiam Lacedaemoniorum quinque nomina eo, de quo disputamus, loco allata ab Hermippi artificio quodam duxisse originem.

Quoniam igitur et in prima et in extrema parte ea, de qua agimus, vestigia Hermippea perspicua inesse invenimus, cum cetera omnia cum eis, quae Diogenes narrat, congruant: non metuo, ne temere judicare videar, omnia, quae de expeditione Salaminia a Plutarcho tradita sint, ab Hermippo esse profecta profitens. quae cum ita sint, etiam duae de ipsa insulae expugnatione relationes ex Hermippi libro repetitae sunt. neque quod de pace per arbitros facta Plutarchus fusius rettulit quam Diogenes, cum ille quattuor Solonis argumenta afferat, hic duo, Prinzius (p. 28.) ad Hermippi narrationem supplendam Plutarchum Didymi libro

---

[23]) Ernst Eckstein, leichte waare. Leipzig. 1874. p. 86. — [24]) O. Müller, Dor. I. p. 137.

usum esse jure judicat. namque Diogenes ut judicium omnino institutum esse commemorare omisit, ita, qua est narrandi brevitate, facile commisit, ut nonnulla argumenta neglegeret. Plutarchus contra omnia, quae in libro Hermippeo invenerat, tradidisse videtur. neque enim Prinzii sententia: Plutarchum ea, quae de Philaeo et Eurysace narret, per Didymum ex Polemonis libro, qui *ἀναγραφὴ τῶν ἐπωνύμων τῶν δήμων καὶ φυλῶν* inscribebatur, hausisse rati, quo nitatur, quidquam video. atque hoc loco monere liceat, Prinzium non pauca, quae in Solonis vita Plutarchea narrentur, nulla probabili causa eis scriptoribus tribuisse, quorum libri ipsi quoque eadem et primi quidem fortasse praebeant.[25] at quamquam satis dignum est, quod quaeratur, a quo auctore quid primo narretur, tamen id ex eo loco, quo primo inter libros servatos inveniatur, in alios omnes, in quibus ipsis scriptum occurrat, translatum esse non vere concluditur, etiamsi ipsa verba quodammodo congruere negari non possit. neque enim quidquam prohibet, quominus eandem rem a diversis scriptoribus, qui alius alio usi non sint, litteris mandatum esse sumamus neque, si in fontibus excutiendis via ac ratione utimur, singularum rerum certum auctorem conjectura statuere licet, nisi in majore quadam parte exstant, quam universam ab uno eodemque auctore profectam esse variis argumentis indicetur. sed satis multa de hac re verba fecisse mihi videor. restat ut etiam in capite 5. fragmentum, quod ipsius Solonis esse vulgo putatur, ab Hermippo Plutarchum accepisse commemorem.

In capite undecimo, quo de primo bello sacro agitur, duae sunt res, quibus narrationem, cum ab eis, quae antecedunt, discrepet, non totam ex eodem, quo antea scriptor usus sit, fonte desumptam esse apparet. primum enim complures auctores ibi allati sunt, quorum libros, quisquis in Plutarchi fontibus indagandis versatus erit, ipsum legisse haud dubie negabit. auctores enim, quos quidem in aliorum libris prolatos invenerat, eis tantum locis ipse complures laudare solet, quibus ab alio ad alium librum quasi transscribendum transit et ea, quae in diversis libris tradita erant, conserere atque conjungere studet. atque deinde illud indicatur brevitate quadam, qua praedita capitis 11. altera pars Hermippeam loquacitatem fusumque genus narrandi minime habet. quamquam igitur Plutarchus ipsum Hermippum auctorem laudare videtur, tamen eum alius cujusdam scriptoris auctoritate nisum ea, quae de bello sacro tradat, narrasse ideoque, quae legantur, alia ratione ac, qua cui primo aspectu videri possunt, explicanda esse censeo. priora enim verba usque ad *ἐν Δελφοῖς*, in quibus ubertas quaedam orationis inest, cum Hermippo tribuenda sint, verba, quae sunt *ὡς λέγειν φησὶν Ἕρμιππος Εὐάνθη τὸν Σάμιον*, non ad omnia, quae antecedunt, sed ad ea ipsa, quae negantur, referenda esse mihi videntur, ut sententia horum verborum sit: „quod Euanthem narrasse Hermippus ait, Solonem ducem fuisse, id non recte narratur.“ contrariam autem sententiam hoc modo allatam a Plutarchi consuetudine non abhorrere, ex loco vitae Lycurgeae c. 14., quem cum Aristot. polit. 46, 8. conferas velim, satis apparet.[26] Hermippus igitur Euanthem secutus Solonem Atheniensium ducem bello sacro fuisse tradiderat. Plutarchum autem contrarium, quod probet, ab alio confirmatum accepisse sumendum est. quod ut concedas, qua sit ille in bello sacro narrando brevitate, ut satis perspicias monuerim. haec enim unde orta sit, explicari posse equidem non intellego, si neminem

---

[25]) v. Prinz, l. c. p. 13. 27. sq.

[26]) v. Gilbert, l. c. p. 107. sq.

Plutarchus secutus esse putetur nisi Hermippum, qui sine dubio lepidam illam narrationem a Suida s. v. *Σόλων* traditam,[27]) qua Solonem, etiamsi non ipse dux esset, tamen ut Cirrha urbs expugnaretur, consilio suo effecisse dicitur. referre eaque opus suum complere non omiserat. sin autem alium auctorem a Plutarcho in capite 11. assumptum esse concessum erit, facillime. unde brevitas illa orta sit, intellegetur. neque enim alium quemquam Plutarchus auctorem adhibuit nisi Didymum, a quo res Solonis narratas illas quidem in libro, qui *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος* inscriptus erat, sed quam brevissime narratas esse supra docui. maxime autem ipsi, qui a Plutarcho allati sunt, auctores Didymeum fontem indicant et Hermippeum exscriptum refutant. nam licet Hermippum in vitis legum inventorum describendis ex Aristotelis libris, qui sunt *πολιτεῖαι* et *πολιτικά*, nonnulla hausisse verisimile sit, tamen eum libro Aristoteleo, qui *τῶν Πυθιονικῶν ἀναγραφὴ* inscribebatur, usum esse ne minimo quidem argumento indicatur. quod contra Didymum hunc librum penitus cognovisse et in opere *ὑπομνημάτων εἰς Πίνδαρον* componendo adhibuisse compertum habemus.[28]) nec minus Aeschinis verba ex orationis in Ctesiphontem habitae §. 108. desumpta ob eam causam Didymum memoria tenuisse censeo, quod *ὑπόμνημα εἰς Αἰσχίνην κατὰ Κτησιφῶντος* olim composuerat.[29]) denique illa *Δελφῶν ὑπομνήματα* hoc, de quo agimus, loco allata quin idem fuerint liber ac *τῶν Πυθιονικῶν ἀναγραφή*, ut hac illa continerentur, dubium esse non potest. quae si ita sunt, diversa, quae ex optimis fontibus hausta hoc loco afferuntur, Didymus, qui cum libros ad litteras pertinentes componebat, ea legerat, libro, quo de Solonis legibus agebat, Plutarcho transtulit, atque is, ob eam causam factum est, ut hoc loco non ficta fusius, sed breviter vera traderet.

Quae in capite 12. de scelere Cyloneo a Plutarcho narrantur, si cum eis, quae ab Herodoto 5, 71. et a Thucydide 1, 126. traduntur, comparaveris, singulare quoddam narrandi genus in eis inesse invenies. neque enim certi quidquam aut definiti, ut ipsa, quae facta tum sint, et homines et loca et tempora accuratius cognoscamus, veluti ab illis, ita a Plutarcho narratur, sed qualia in similem quamlibet rem pariter cadant.[30]) nonnullis, quibus animi legentium delectarentur, additis excogitata magis quam ad verum accommodata[31]) referuntur. atque quod ante omnia velim intuearis, Plutarchus vel potius ejus auctor id agit, ut quomodo Alcmaeonidae ad scelus committendum adducti sint, quam maxime probet et explicet. nam *αὐτομάτως*, inquit, *τῆς κρόκης ῥαγείσης . . . . ὡς τῆς θεοῦ τὴν ἱκεσίαν ἀπολεγομένης*. quae cum ita sint, errare non videbor, si hanc quoque de scelere Cyloneo narrationem ei tribuerim, qui minus historiam veram, quam facetas fabulas scribere studuisse neque tam aliunde eruisse quam animo excogitasse dixi, praesertim cum alteram capitis 12. partem ex Hermippo derivatam esse eo verisimile sit, quod cum eis, quae Diogenes refert, prorsus ea congruit. quae res quo magis appareat, ea, quae Plutarchus et quae Diogenes narrat, opposita inter se comparare libet.

---

[27]) haec ipsam ab Hermippo profectam in Suidae librum pervenisse (v. Nitzsche, l. c. p. 210. sq.) verisimile est.

[28]) v. Rose, Aristot. pseud. p. 549.

[29]) v. Schmidt, l. c. p. 137.

[30]) *ἐκ πολλοῦ . . . . τοὺς συνωμότας . . . . ὁ ἄρχων ἐπὶ δίκῃ κατελθεῖν ἔπεισεν.*

[31]) *ἐξάψαντος τοῦ ἕδους κρόκην κλωστήν . . . . καὶ τοὺς ἔξω κατέλευσαν, οἱ δὲ τοῖς βωμοῖς προσφυγόντες ἀπεσφάγησαν . . . . μόνοι δ' ἀφείθησαν οἱ τὰς γυναῖκας αὐτῶν ἱκετεύσαντες.*

Plut. c. 12. *ἔδοκει δέ τις εἶναι θεοφιλὴς καὶ σοφὸς κτλ.*
*καὶ Κούρητα νέον αὐτὸν οἱ τότε ἄνθρωποι προςηγόρευον.*
*λέγεται δὲ τὴν Μουνυχίαν ἰδὼν καὶ καταμαθὼν πολὺν χρόνον εἰπεῖν πρὸς τοὺς παρόντας, ὡς τυφλόν ἐστι τοῦ μέλλοντος ἄνθρωπος. ἐκφαγεῖν γὰρ ἂν Ἀθηναίους τοῖς αὐτῶν ὀδοῦσιν, εἰ προῄδεσαν, ὅσα τὴν πόλιν ἀνιάσει τὸ χωρίον.*
*χρήματα διδόντων πολλὰ καὶ τιμὰς μεγάλας τῶν Ἀθηναίων οὐδὲν ἢ θαλλὸν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας αἰτησάμενος καὶ λαβὼν ἀπῆλθεν.*

Diog. 110. *γνωσθεὶς δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησι θεοφιλέστατος εἶναι ὑπελήφθη.*
115. *Μυρωνιανὸς δὲ ἐν ὁμοίοις φησὶν ὅτι Κούρητα αὐτὸν ἐκάλουν Κρῆτες.*
114. *ἰδόντα γοῦν τὴν Μουνυχίαν παρ' Ἀθηναίοις ἀγνοεῖν φάναι αὐτοὺς ὅσων κακῶν αἴτιον ἔσται τοῦτο χωρίον αὐτοῖς, ἐπεὶ κἂν τοῖς ὀδοῦσιν αὐτὸ διαφορῆσαι.*

111. *Ἀθηναῖοι δὲ τάλαντον ἐψηφίσαντο δοῦναι αὐτῷ καὶ ναῦν τὴν ἐς Κρήτην ἀπάξουσαν αὐτόν. ὁ δὲ τὸ ἀργύριον οὐ προσήκατο.*

Per majorem igitur vitae partem, quae ab Hermippo derivata est, progressi paullulum quaeso subsistamus, ut nonnulla, quae ad universam Hermippeam narrationem pertineant, colligentes paucis, si placet, describamus. nam cum in eis, quae sequuntur, non multa et certa indicia, quae ad singula pertineant, exstent, nescio an eis, quae in universum disputata erunt, examinandis efficere aliquid possim. atque jam saepius, cum occasio tulit, Hermippum, utpote qui fusum quoddam et copiosum narrandi genus secutus sit, commemoravi omnia undique colligere diligentissime consuevisse et de una quaque re, quae ubique ferrentur, in suum usum conquisivisse et modo aliam separatam juxta aliam relationem [32]) modo diversas conjunctas in unam [33]) tradidisse. summa autem diligentia Solonis carminibus veluti uberrimo fonte usus singula fere eorum verba interpretatus est et, quid publice ille gessisset, quibus rebus privatus operam dedisset, quid de hominum moribus, quid de rerum natura judicasset, qui fuissent ipsius mores, quae opes, quam maxime exquirere studuit. sed quae narrat, ea sermonibus ratiocinatione quadam excogitatis haud ita raro simillima sunt carentque saepe fide historiae. namque ut, quae *δρώμενα* in insula Salamine dicuntur, praetermittam, nunquam fere neque situs locorum neque temporum descriptiones ea, quae historicum deceat, fide persecutus est. tempora enim plerumque levibus describuntur ab Hermippo verbis, qualia sunt: *ἤδη τὰ δημόσια πράττοντα* (c. 5.), *ἐπεὶ μακρόν τινα καὶ δυσχερῆ πόλεμον κτλ.* (c. 8.), *ἤδη μὲν οὖν κτλ.* (c. 11.), *ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς* (c. 12.) et quae saepius iterantur *πάλιν* et *αὖθις*. neque ullo totius vitae Solonis Plutarcheae loco nisi in c. 14. et 32. Phania auctore laudato tempus, quo quid factum sit, accurate definitur. quodsi forte quispiam Diogenem haud ita raro tempora descripsisse monuerit, id ipsum, quomodo factum sit, exposuisse idoneum est, quod in nostram sententiam valeat. plerumque enim ille, ubi tempora descripsit, auctores quoque, quorum ex libris exscribebantur, addidit, qua re ex principali, ut ita dicam, fonte ea profecta non esse indicari supra dixi. atque quod majus est, eos plerumque de temporibus descriptis laudavit auctores, qui post Hermippum

---

32) v. c. 4. 8. 9.
33) v. c. 8. init. cf. p. 10.

fuerunt, veluti Sosicratem, Appollodorum, alios,[34]) ut quae apud Hermippum non invenerat, ea ex libris scriptorum recentiorum eum addidisse appareat. locorum autem certa descriptio maxime desideratur, ubi Salaminis insulae expugnatio[35]) et Alcmaeonidarum scelus narrantur. contra quaecunque cum ex aliorum libris cognosci tum mente et commentatione inveniri poterant, ab Hermippo, qui in litteris abditus bibliotheca includeretur in scholaeque umbra delitesceret, eximia arte et cura disposita atque excogitata praebentur. huc enim pertinent, quae de nominibus ab eo fictis[36]) et de causis ab eo quaesitis[37]) disputavi, quibus rebus factum est, ut narrationem sibi traditam aliis excogitatis ipse valde augeret atque exornaret. in describendis denique Solone ipso ejusque moribus imprimis Hermippus semper *μέσον* eum fuisse narravit[38]) et memorem praecepti, quod per totam vitam retinuit: *μηδὲν ἄγαν.*[39]) ac *μέσον* quidem *τῶν πολιτῶν* i. e. medium inter cives et divitiis et auctoritate eum fuisse, qua virtute ad leges ferendas maxime idoneus civitati visus esset, ipsis poematis certior factus Aristoteles jam tradiderat. Hermippus vero, summi praeceptoris vestigia persecutus, Solonis *μεσότητα*, quae Graece dicitur, tantam fuisse dixit, ut et privatum moderationem servasse et in re publica medium quendam locum semper obtinuisse traderet. cui sententiae contrarium et Aristotelem et Didymum tradidisse paulo infra[40]) comprobabitur. deinde autem, quod maxime respici voluerim, quoniam usque ad hoc tempus ob omnibus, qui de vita Solonis scripserunt, pro vero et habitum et prolatum est, id agit Hermippus, ut Solonem multis rebus bene gestis in dies magis et gloria et dignitate florere coepisse ostendat, dum ad eum auctoritatis gradum ascendisset, quo fieret, ut Atheniensium legum lator crearetur. quod ejus studium quale fuerit, apparet Plutarchi verbis, quae sunt in capite 11. *ἤδη μὲν οὖν καὶ ἀπὸ τούτου ἔνδοξος ἦν ὁ Σόλων καὶ μέγας,* in c. 12. *ἤδη δόξαν ἔχων ὁ Σόλων,* in c. 14, si hoc jam addere licet, *ὅθεν εὔδηλον οτι . . . . μεγάλην δόξαν εἶχεν* et Diogenis quoque narratione cognosci potest.[41]) sed his interjectis, quod instituimus, persequi jam pergamus.

Si, quae modo in universum dixi, recte disputata sunt, etiam caput 13., de quo nunc agendum est, et primam capitis 14. sententiam, quae cum illo arte cohaeret, ad Hermippi auctoritatem esse referenda, certissimis vestigiis facile ac primo aspectu cognoscitur. nam et fusum illud dicendi genus per totam hanc partem et eam, qua Hermippum usum esse vidimus, temporis descriptionem[42]) in primo et fragmentum Soloneum (fr. 36. B.) adhibitum solutaque oratione transcriptum in extremo capite invenimus. et extremo quidem hoc capite Plutarchus auctore Hermippo, ob quas causas omnino novae Atheniensibus leges ferendae instituendaeque fuissent, exposuit, quod quidem ille quaerens in Solonis carminibus invenerat. quod autem Solo legum lator factus esset, id evenisse Hermippus putaverat mediocritate illa, cujus beneficio esset *μήτε τοῖς πλουσίοις κοινωνῶν μήτε ταῖς τῶν πενήτων ἀνάγκαις ἐνεχόμενος* (c. 14). neque igitur verba *ἐγεώργουν ἐκείνοις ἕκτα τῶν γενομένων τελοῦντες* errore Plutarchi scripta,[43]) sed integra ab illo translata esse judicaverim ex libro Hermippi,

---

[34]) v. Diog. 1, 22. 37. 38. 62. 68. 95. 101.

[35]) qua in re haud scio an verba, quae sunt in c. 9. *πρὸς τὴν Εὔβοιαν*, quae Sintenis in *πρὸς τὴν Νίσαιαν*, Westermann Strabonem (9, 291.) secutus in *πρὸς τὴν Μινώαν* commutavit, non librariorum errore orta, sed ab ipso Hermippo scripta esse putem.

[36]) v. p. 11. — [37]) v. p. 6. et 13. — [38]) v. Plut. c. 3. Diog. 1, 56. 58.

[39]) v. Diog. 1, 63. — [40]) v. p. 21.

[41]) cf. Diog. 1. 49. — [42]) *τῆς Κυλωνείου πεπαυμένης ταραχῆς.*

qui nomen *ἐκτημορίων* sua ratione interpretatus erat. ejusmodi enim, quae Graece dicuntur, *ἐτυμολογίαι*, adhibitae ad historiam non dico eruendam, sed fingendam, saepius[44]) inveniuntur in ea Lycurgi vitae Plutarcheae parte, quam ex Hermippo derivatam esse Gilbertus[45]) luculenter demonstravit. denique hujus, quam defendimus, sententiae stabiliendae est, quod etiam eis, quae sunt apud Diogenem 1, 45. *ἐπὶ σώμασιν ἐδανείζοντο καὶ πολλοὶ δι' ἀπορίαν ἐθήτευον.*[46]) Diogenem in libro ejus, quem ipse sequeretur, auctoris talem, qualem in Plut. Sol. c. 13. legimus, de legum latarum causis expositionem invenisse apparet.

Quae in capite 14. post ipsam sententiam, quam modo tractavimus, narrantur auctore Phania, — cui eidem verba *ᾑρέθη δὲ ἄρχων μετὰ Φιλόμβροτον ὁμοῦ καὶ διαλλακτὴς καὶ νομοθέτης* et propter nexum sententiarum et propter similitudinem ejus temporis descriptionis, quae in capite 32. a Phania profecta invenitur, tribuenda esse videntur —, et quae ex Androtionis libro in capite 15. hausta afferuntur, ea mox tractaturi nunc praetermittimus. sed quae in capite 14. sequuntur: *ἀλλ' αὐτὸς ὁ Σόλων ὀκνῶν φησι τὸ πρῶτον ἅψασθαι τῆς πολιτείας κτλ.*, cum eorum, quae ex Phania repetita interjecta sunt, nulla praeterea ratio habeatur, artissime cohaerent cum verbis, quae antecedunt: *ἐδέοντο τοῖς κοινοῖς προσελθεῖν καὶ καταπαῦσαι τὰς διαφοράς.* pariterque verbis *ᾑρέθη δὲ ἄρχων . . . . καὶ νομοθέτης* intermissis, quae de Solonis apophthegmate: *τὸ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ* ejusque eventu dicta sunt, arte cohaerent cum eis, quae de tyrannide a Solone repudiata sequuntur. atque *εὐτολμότερον ἅψασθαι* ad ea, quae sunt *ὀκνῶν φησι τὸ πρῶτον ἅψασθαι*, spectare perspicuum est. quae cum ita sint, si quidem ullam partem capitis 14. ex Hermippo derivatam esse demonstratum erit, universum caput ad ejus auctoritatem referendum esse videbitur. e Diogenis autem verbis *τυραννεῖσθαι ἤθελον πρὸς αὐτοῦ· ὁ δ' οὐχ εἵλετο* apparet, in ejus principali quasi fonte similem quandam narrationem fuisse, qua omnem actionem atque administrationem rei publicae aliquando a Solone repudiatam esse diceretur. itaque quod in Diogeneo libro ad minimum redactum breviterque commemoratum est, id ab Hermippo fusius ea ratione, quam praebet Plutarchus, tractatum fuisse et a Plutarcho in suum librum transcriptum esse jure sumere mihi videor atque quod Hermippus in Solonis vita describenda id maxime egisse dixi, ut crescente magis magisque gloria Solonem Atheniensium legum latorem factum esse demonstraretur, id et ipsum hoc loco praedicatum[47]) e Solonis carminibus derivatum est, a quibus tertia fere capitis 14. pendet pars. neque vero Prinzius Plutarchum, cum Pittacum a Mytilenaeis tyrannum creatum esse diceret, Aristotelem secutum id narrasse jure affirmat. namque sine dubio hoc etiam a permultis aliis traditum exstabat, inter quos Hermippum fuisse ex Diogeneo loco 1, 75. conici licet.

In eis deinceps, quae sequuntur, eundem Hermippum Plutarchi auctorem fuisse, nonnullis vitae Lycurgeae locis docemur. verba enim, quae in capite 15. scripta videmus: *οὐκ ἐπήγαγεν ἰατρείαν οὐδὲ καινοτομίαν* sine dubio referenda sunt ad ea, quae exstant in vitae Lycurgeae capite 5.: *ὡς τῶν κατὰ μέρος νόμων οὐδὲν ἔργον οὐδὲ ὄφελος, εἰ μή τις ὥσπερ σώματι πονηρῷ καὶ γέμοντι παντοδαπῶν νοσημάτων τὴν ὑπάρχουσαν ἐκτήξας καὶ μεταβαλὼν κρᾶσιν ὑπὸ φαρμάκων καὶ καθαρμῶν ἑτέρας ἄρξεται καινῆς διαίτης ......... πλειόνων δὲ καινοτομουμένων*

---

[43]) cf. Prinz, l. c. p. 21.

[44]) v. Lyc. 3: *Χαρίλαος*, c. 11: *Ὀπτιλῖτις*, c. 12, *φιδίτια*.

[45]) Gilbert. l. c. p. 97. sq.

[46]) Plut. c. 13. *χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν.*

[47]) *ὅθεν εὔδηλον, ὅτι πρὸ τῆς νομοθεσίας μεγάλην δόξαν εἶχεν.*

*ὑπὸ τοῦ Λυκούργου*; et quae in vitae Soloneae capite 16. de Lycurgo narrantur, prorsus cum eis, quae accuratius quidem exposita in Lycurgeae vitae capitibus 1. 3. 5. 11. legantur, congruere manifestum erit, ubi utriusque verba juxta posita inter se comparata fuerint.

| | |
|---|---|
| Sol. c. 16. *ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ἑνδέκατος ἀφ' Ἡρακλέους.* | Lyc. 1. *ἑνδέκατον ἀφ' Ἡρακλέους.* |
| *καὶ βεβασιλευκὼς ἔτη πολλὰ* | Lyc. 3. *ἔδει βασιλεύειν, ὡς πάντες ᾤοντο, τὸν Λυκοῦργον.* |
| *καὶ βίᾳ μᾶλλον ἢ πειθοῖ χρησάμενος* | Lyc. 5. *τριάκοντα τοὺς πρώτους μετὰ τῶν ὅπλων ἕωθεν εἰς ἀγορὰν προσελθεῖν ἐκπλήξεως ἕνεκα καὶ φόβου πρὸς τοὺς ἀντιπράττοντας· ὧν εἴκοσι τοὺς ἐπιφανεστάτους Ἕρμιππος ἀνέγραφεν.* |
| *ὥστε καὶ τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκοπῆναι.* | Lyc. 11. *Ἄλκανδρος . . . . τῇ βακτηρίᾳ πατάξας τὸν ὀφθαλμὸν ἐξέκοψεν.* |

Lycurgeae autem vitae capita 1.—5. et 11. ex Hermippi libris hausta esse modo commemoravi. neque vero nihil nisi haec verba, sive a Plutarcho memoriae servata sive in hunc locum e vita Lycurgea transscripta, Plutarchum ex Hermippeo libro accepisse, inde apparet, quod ea, de quibus modo dixi, cum ceteris, quae in capite 15. et 16. narrantur, artissime cohaerent.

Una tantum, quae in extremo capite 15. traditur, narratiuncula cum ceteris minus arte conjuncta est, ut pauca de ea addere non alienum videatur. hanc vero sicut ceteras, quibus immixta est, ab Hermippo Plutarchum accepisse, ut arbitrer, eo adducor, quod etiam Diogenes eam breviter commemorat, cum dicit (1, 45.): *ἑπτὰ δὲ ταλάντων ὀφειλομένων αὐτῷ πατρώων συνεχώρησε πρῶτος καὶ τοὺς λοιποὺς τὸ ὅμοιον προὔτρεψε πρᾶξαι.* qua in re quod de talentorum, quae Solo lege perlata amiserit, numero Plutarchus et Diogenes non idem referunt, hoc nullius esse momenti putaverim. contra ipsi auctorem suum ea, quam Hermippus sequeretur, ratione diversa quoque, quae de hac re ferebantur, contulisse indicant.[48]) quid, quod universa narratiuncula Hermippi narrandi genere ita est imbuta, ut etiam singulis rebus et trium Solonis amicorum nominibus allatis[49]) et etymologia quadam auctor ille cognoscatur.[50])

Jam vero quae Plutarchus narrat, quomodo Solo leges instituerit et pertulerit, accommodata prorsus sunt ad eam rationem, quam Hermippum Solonis propriam dixisse supra non uno loco exposui. nam *δημοτικὸς ὤν*, inquit, *καὶ μέσος, ἐνδεέστερον δὲ τῆς ὑπαρχούσης δυνάμεως οὐδὲν ἔπραξεν.* ita nimirum ille se gerebat, quem mediocritati in omnibus rebus studuisse praeceptumque *μηδὲν ἄγαν* per totam vitam tenuisse Hermippus tradiderat. per totam autem eam partem, de qua agimus, ex carminibus Soloneis ea ratione haustum est, quam item Hermippeam esse satis jam cognovimus. verbis enim ex illis desumptis *ὁμοῦ βίην τε καὶ δίκην συναρμόσας* (c. 15.) ab auctore docemur, quomodo leges Solo instituerit, verbis

48) v. imprimis Plutarchi verba: *ἔνιοι δὲ πεντεκαίδεκα λέγουσιν, ὧν καὶ Πολύζηλος ὁ Ῥόδιός ἐστιν.*

49) *τοῖς περὶ Κόνωνα καὶ Κλεινίαν καὶ Ἱππόνικον.*

50) *τοὺς μέντοι φίλους αὐτοῦ χρεωκοπίδας καλοῦντες.*

*ὅρους ἀνεῖλε πολλαχῇ πεπηγότας*, quae *σεισάχθεια*, quae dicitur, fuerit, *τυραννίδος . . . . οὐ καθηψάμην μιάνας καὶ καταισχύνας κλέος* (c. 14.), qua jam gloria ante leges latas floruerit neque equidem dubito Leutschio assensus, quin verbis, quae sunt in capite 15. *παντάπασι καὶ ταράξας τὴν πόλιν ἀσθενέστερος γένηται τοῦ καταστῆσαι πάλιν καὶ συναρμόσασθαι*, carminis fragmenta contineantur, quamquam Bergkium aliter de hac re judicasse non sum nescius.

Quoniam igitur praeter ea, quae Androtionis et Phaniae esse dixi, etiam capita 14. – 16. Hermippo auctori tribui, a Prinzii sententia abhorreo, qui (l. c. p. 31.) magnam capitis 15. partem ex Didymi libro profectam esse judicavit. quamquam enim ille collatis eis, quae traduntur ab Heraclide *περὶ πολιτειῶν* et ab Harpocratione s. v. *συντάξεις*, Aristotelem eadem, quae in capite 15. Plutarchum narrasse jure dixit, et quamquam Androtio laudatus Didymum auctorem indicare videri potest, tamen num ea, quae Prinzius voluit, universa e Didymeo libro Plutarchus repetiverit, maxime dubium esse mihi videtur. nam Hermippum *σεισάχθειαν* dixisse *χρεῶν ἀποκοπὴν* eo ipso verisimile est, quod hanc explicationem ad etymologiam pertinere [51] luculenter Harpocratio docet. is enim s. v. *σεισάχθεια* scripsit: *Σόλων χρεῶν ἀποκοπὴν δημοσίων καὶ ἰδιωτικῶν ἐνομοθέτησεν, ἥνπερ σεισάχθειαν ἐκάλεσε παρὰ τὸ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων.* atque cum eis, quae in extremo capite 15. narrantur, illa ponatur explicatio,[52] si ea Hermippo ob varias causas jure a nobis tributa sunt, hac re mea quidem sententia certior fit. quodsi ab Aristotele, quae narrantur, profecta sunt, Hermippum peripateticum Aristotelis, qui *πολιτεῖαι* inscribebantur, libris in legum inventorum rebus narrandis usum esse verisimile non esse jam negavi. neque igitur aliud quidquam ex Didymo derivatum esse concedo, nisi ipsum Androtioneum illud, de quo quidem certum judicium facere non licere puto. quod ex alio ac, quo antea usus sit, fonte i. e. ex Didymeo libro Plutarcho obvenisse affirmari nescio an ejus errore videatur, qui verbis, quae sunt *ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν* [53]) continetur. hic enim inde ortus esse putari potest, quod neglegentia quadam scriptor ab altero ad alterum auctorem transscribendum hoc loco transierit. neque quidquam argumenti proferri potest, quo Hermippum Atthidum scriptorum, qui proprie dicuntur, libris usum esse demonstretur. Didymum contra, quae ab eis maximeque ab Androtione narrata invenisset, summa diligentia in commentaria Homerica, Pindarica, Sophoclea transscripsisse satis constat. cogitari igitur posse concedo eis, quae Hermippus narravisset, a Plutarcho eodem modo, quo in capite 11.[54]) contrariam sententiam ex Didymeo libro haustam additam esse, etiamsi certo affirmari non potest. neque vero pro certo id sciri multum interest, cum quod summum atque ultimum scriptorum fontibus quaerendis cognoscere studemus, nomine auctoris ab ipso Plutarcho laudato, cognitum jam habeamus. quis enim primus illam *σεισαχθείας*, quae dicitur, narrationem praebuerit, cum doceamur: Athenis eam nescio quomodo traditam fuisse intellegimus. restat igitur, ut de eis, quae Phanias in capite 14. narrasse dicitur, pauca addam, quibus

---

51) cf. p. 16.

52) v. verba *ὅτι γῆν μὲν οὐ μέλλει κινεῖν, χρεῶν δὲ ποιεῖν ἀποκοπὰς ἔγνωκεν.* (c. 15.).

53) cf. Westermann ad h. l. — Boeckh, staatsh. II. p. 349. Prinz, l. c. 31.

54) cf. p. 12.

ejusdem Prinzii sententiam (l. c. p. 33. sq.) impugnem. namque ea non cum ceteris ex Hermippeo libro hausta esse, quod Prinzius voluit, eo apparet, quod neque cum eis, quae antecedunt, neque cum eis, quae sequuntur, cohaerent, sed quae nexu sententiarum arte conjuncta esse vidimus: *ἐδέοντο τοῖς κοινοῖς προσελθεῖν κτλ.* et *ὀκνῶν φησι τὸ πρῶτον ἅψασθαι τῆς πολιτείας*, illis prorsus dirimuntur. neque antea neque postea Phanianum illud respicitur. itaque continuae, quam ab Hermippo acceperat, narrationi hoc ex alio fonte sive ex ipsius Phaniae sive ex tertii scriptoris i. e. Didymi libro a Plutarcho insertum esse staduendum est. idem autem judico de verbis: *ᾑρέθη δὲ ἄρχων μετὰ Φιλόμβροτον ὁμοῦ καὶ διαλλακτὴς καὶ νομοθέτης*, quae a Phania profecta esse verisimile est neque ad Hermippum auctorem, si quid video, referenda sunt. nam Hermippus Solonem post institutam *σεισάχθειαν* eodem tempore, quo archontem, *νομοθέτην* ab Atheniensibus creatum esse non narraverat, qua re factum est, ut Plutarchus, quae ex alio fonte hausta jam in capite 14. narrationi Hermippeae inseruerat, eadem in extremo capite 16. Hermippum neglegenter secutus iterum traderet, verbis usus: *τὸν Σόλωνα τῆς πολιτείας διορθωτὴν καὶ νομοθέτην ἀπέδειξαν . . . λύοντα καὶ φυλάττοντα τῶν ὑπαρχόντων καὶ καθεστώτων ὅτι δοκοίη*. atque accedit, quod prior ille locus, quo Plutarchus Solonem simul archontem et legum latorem factum esse narrat, minime aptus est, quo referatur, cum inter ea, quibus narrat, quomodo civibus et divitibus et pauperibus usus sit, illud alienum immiscuerit. itaque cum jam quaeratur, utrum ex Phaniae ipsius an ex Didymi libro utramque sententiam acceperit, quoniam, cur illud statuatur, nihil habemus, via ac ratione ad Didymum ducimur. atque is Phaniae librum in libro suo, quo Plutarchus usus est, componendo nescio an ob eam causam assumpserit, quia ad illum Asclepiadis liber aliquo modo pertinebat[55]). Plutarchus autem, quod is narraverat, quem in Themistoclis vitae capite 3. *ἄνδρα φιλόσοφον καὶ γραμμάτων ἱστορικῶν οὐκ ἄπειρον* appellat, libenter suo libro inepto quidem loco inseruit.

De ea, quae sequitur, parte, qua totius vitae fere gravissima de legibus Soloneis agitur, pauca addenda sunt, cum nisi singulae leges accurate tractatae fuerint, quae de eis hoc loco traduntur, quid valeant, certo non possit dijudicari. omnino autem, quae in capitibus 17.—25. narrantur, maxima ex parte ab Aristotele derivata per Didymum, qui dubito an ipse ea a Demetrio Phalereo acceperit, ad Plutarchum perlata esse et Prinzius l. c. p. 18. sq. et Rosius l. c. p. 413., quantum equidem judicare possum, satis demonstraverunt. neque vero, quisquis in Plutarchi libris versatus erit, mirabitur, quod contra ea, quae Rosius disputavit (l. c. p. 548.), Prinzio assentior, non ex Didymi commentariis res dispersas ac dissipatas Plutarchum collegisse, sed ex libro Didymeo, qui *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος* inscribebatur, omnia transscripsisse affirmanti.

Ac primum caput 17. ex Didymi libro haustum esse, etiamsi certis omnino argumentis comprobari non possit, tamen eo verisimile est, quod caput 17. et caput 18. vocabulis *πρῶτον* et *δεύτερον* conjuncta inter se sunt et in capite 19. quoque leges Draconteae commemorantur. quae vero in priore capitis 18. parte breviter ac perspicue, apte recteque narrantur, ea quin et ab Aristotele profecta sint et ad Didymi auctoritatem referenda dubium non est. [56]) sed nihilo setius alteram partem, quae incipit a verbis *λέγεται δὲ καί*, ab Her-

---

[55]) v. Schmidt; l. c. p. 399.

[56]) cf. Pollux 8, 130. v. Rose, l. c. p. 411. Prinz, l. c. p. 18.

mippo repetitam esse putaverim, cum tantum absit, ut continuentur, quae Didymi perspicua verborum brevitate et rerum simplici veritate narrata sunt, ut, quae fuse et facete descripta sequuntur, quasi aliena in expositionem institutam inepte immixta sint. namque cum et in priore capitis 18. parte et in capite 19. respublicae, illic civium in classes discriptio hic Areopagi et senatus institutio, tractentur, eis, quae interposita sunt, de causis et actione agitur. itaque Plutarchum, cum Didymus, quae valerent jura a Solone omnibus civibus tributa, rectissime disseruisset, ejus verbis, quae sunt *ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις* inductam esse apparet, ut quae minime huc pertinerent, aliunde et ex Hermippo quidem hausta interponeret. atque accedunt alia, quibus ad Hermippum auctorem delegemur: allatum carminis fragmentum, quod cum ipsa, quae sequitur, narratione arte cohaeret[57]), et narratum id apophtegma, quod apud Diogenem 1, 59. exstans ad verbum fere cum Plutarcheis congruit.

In capite 19. Didymo auctore senatus et Areopagi institutio tractatur. atque ceteris omissis in eo exstare monuerim subtilem quandam quaestionem criticam ad Areopagum pertinentem, quae ne Plutarcho, qui ne suum quidem judicium proferre usus verbis, quae sunt, *ταῦτα μὲν οὖν αὐτὸς ἐπισκόπει*, legentibus eam decernendam reliquit, a quoquam tribuatur non metuo. haec autem, qua etiam *ἀσάφειαν τοῦ γράμματος ἢ ἔκλειψιν* factam esse cogitatur, et Draconteа lex cognita et allata ad verbum lex Solonea talem auctorem indicant, qualis fuit Aristoteles, a quo quae tradita erant, quin Plutarcho per Didymum praebita sint, non dubito.

In capitibus 20.—24. mirum est, quod *νόμοι* Solonis *ἴδιοι* (c. 20. 24.), *παράδοξοι* (c. 20.), *ἄτοποι* (c. 20. 23.), *γελοῖοι* (c. 20.) dicuntur, qua ex re quo consilio Didymus de legibus Solonis librum composuerit nescio an conjeceris. duo versus in eis afferuntur, alter Euripidis, alter ignoti auctoris, et laudantur Heraclides Ponticus (c. 22.) et Demetrius Phalereus (c. 23.). sed et haec capita et caput 25. usque ad verba *ἀναθήσειν* cum a Didymo derivata esse satis ab aliis demonstratum sit, nihil jam nisi unum addo. quaecunque enim in capitibus 18.—25. narrantur, ex eis praeter apophthegma illud, quod ex Hermippeo libro haustum esse demonstrasse videor, nihil a Diogene commemoratum est nisi praemia victoribus Olympicis et Jsthmicis proposita esse, qua quidem re nostra sententia confirmari videtur. nam Diogenes etsi dicit: *ἔπειτα τοὺς λοιποὺς νόμους ἔθηκεν, οὓς μακρὸν ἂν εἴη διεξιέναι κτλ.*, tamen 1, 55.—57. permultas leges enumeravit. quin etiam verba, quae sunt apud Diogenem 1, 58.: *ἀλλὰ καὶ τῆς στάσεως γενομένης οὔτε μετὰ τῶν πεδιέων, ἀλλ' οὐδὲ μετὰ τῶν παράλων ἐτάχθη*, ut cum mediocritate ab Hermippo Soloni attributa conveniunt, ita abhorrent ab eis, quae ab Aristotele profecta et per Didymum tradita in Plut. Sol. capite 20. leguntur: *κελεύων ἄτιμον εἶναι τὸν ἐν στάσει μηδετέρας μερίδος γενόμενον.*[58]) prorsus aliam igitur sentiendi agendique rationem Solonem secutum esse Didymus narraverat atque Hermippus, quod quidem Plutarchus, qua fuit in compilando neglegentia, minime sensit.

---

[57]) cf. *δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσον ἐπαρκεῖ κτλ.* et *ἔτι μέντοι καὶ μᾶλλον οἰόμενος δεῖν ἐπαρκεῖν τῇ τῶν πολλῶν ἀσθενείᾳ, παντὶ λαβεῖν δίκην .... ἔδωκεν.*

[58]) cf. Rose, l. c. fr. 347.

Absoluta autem legum enumeratione, cum eas tabulis inscriptas in publico collocatas et ab archontibus senatuque jurejurando sancitas esse narravit, tum demum in medio capite 25. mirum in modum temporum quoque rationem lege Solonea mutatam esse adicit. quod cur factum sit, quomodo explicari possit, non video, nisi id a Didymo omissum Plutarchum eis, quae ab illo acceperat, in suum librum transcriptis ex altero fonte addidisse sumpserimus. confirmatur vero hoc eo, quod etiam a Diogene illud narratur et eo quidem loco, ex quo denuo qua diligentia Plutarchus vitam Soloneam composuerit, apparere nobis videtur. ultimo enim loco Diogenes, cum leges Soloneas enumerat, dicit (1, 57.): *πρῶτον δὲ Σόλων τὴν τριακάδα ἕνην καὶ νέαν ὠνόμασεν ..... ἠξίωσέ τε Ἀθηναίους τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην ἄγειν*, quibuscum conferas Plutarchea, quae sunt: *συνιδὼν δὲ τοῦ μηνὸς ἀνωμαλίαν ..... ἔταξε ταύτην ἕνην καὶ νέαν καλεῖσθαι.* Didymeo videlicet libro, quem in legibus describendis secutus erat, seposito et Hermippeo assumpto, ut res narrare pergeret, Plutarcho, cum ea quae Hermippus de legibus scripserat per incuriam quandam praetermitteret, quod ultimum attulerat, sub aspectum venit, qua re eis, quae ex Didymeo hauserat, ut id omissum adderet, commotus est. deinde etiam quomodo verbis Homericis: *τοῦ μὲν φθίνοντος μηνός, τοῦ δ' ἱσταμένοιο* auctor usus sit, cognito, cum ejus interpretandi rationis meminerimus, quam in capite 3. tractando Hermippi propriam fuisse docui, ejus vestigiis denuo nos occurrisse certissime discimus. denique vero quin in altera capitis 25. parte non eundem auctorem atque in priore Plutarchus secutus ac, si in hac Didymo, in illa Hermippo usus sit, eo dubitari nequit, quod, quae in utraque parte narrantur, inter se discrepant. nam cum in principio verba e Didymi libro hausta: *ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτοὺς ἔδωκεν* legantur, infra Solonem, ne quid mutare civium precibus cogeretur, ab eis, ut decem annos Athenis abesse sibi liceret, rogasse scriptum videmus. an sperabat ille fore ut Athenienses, cum in centum annos leges servaturos se esse juravissent, decem annis intermissis legibus atque institutis suis ita assuescerent, ut jam mutare nollent? alterum videlicet alter auctor Plutarcho suppeditaverat, quod ne ipse nos doceret, neglegentia prohibitus est. sed cum alterum a Didymo praebitum esse satis constet, alterum ab Hermippo repetitum esse confirmatur et causa ea, quam Solonem Athenis profecturum habuisse, et ea, quam simulasse scriptor dicit. nam utraque cum eis convenit, quae ab Hermippo non tam tradita, quam excogitata esse vidimus. Plutarchus enim scripsit: *πρόσχημα τῆς πλάνης ναυκληρίαν ποιησάμενος ἐξέπλευσε*, quod apte factum esse Hermippo videbatur, cum Solonem jam ante leges latas mercaturam fecisse dixisset. atque qua re ipsa Solonem, ut Athenas relinqueret, commotum esse narratur, cogitari non potest, nisi in Solone fuit illa, quam Hermippus praedicavit, *μεσότης*, qua imbutus, cum omnium animos sibi conciliavisset, ne legibus non mutatis voluntates multorum a se abalienaret, timuisse fertur.[59]) quae cum ita sint, quin omnia, quae in capite 25. incipiunt a verbis *συνιδὼν δὲ κτλ.*, Plutarchus denuo ex Hermippeo in librum suum transscripserit, cum dubitari nequeat: jam verisimile esse putabimus, eundem auctorem Plutarcho ea narranda obtulisse, quae intra eos decem annos, quos Athenis afuerit, Solonem egisse dicit.

---

[59]) *βουλόμενος καὶ διαφυγεῖν τὸ δυσάρεστον καὶ φιλαίτιον τῶν πολιτῶν (ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν, ὡς αὐτὸς εἴρηκε.)*

Narratur autem ea, quae sequitur, parte (c. 26.), Solo quo per illud tempus profectus sit. ac quod modo de ea suspicati sumus, id eo ipso confirmatur, quod a Diogene loca, in quae Athenis profectus pervenerit, eadem quae a Plutarcho et eodem quidem ordine enumerantur. deinde cum primum in Aegyptum eum venisse uterque narrat, etiam nomina sacerdotum Aegyptiorum, quibuscum philosophiae operam dederit, a Plutarcho allata eandem Hermippeam olent scribendi rationem. neque inepte, quod de Atlantico carmine Platone auctore additur, ab Hermippo derivatur, quoniam is in vita Platonis idem sine dubio tractaverat. quid, quod singulari quadam diligentia in eis, quae de rebus in insula Cypro gestis et de Solis urbe condita narrantur, et hominum et locorum afferuntur nomina? inter quae quod pristinum illius urbis nomen dicitur *Αἴπεια*, fictum esse facile intellegitur. nam ut multo ante Solonis tempora hanc urbem Solos appellatam fuisse omittam [60]), quibus verbis [61]) quis primo fortasse aspectu accuratiorem loci descriptionem talem, qualem supra in Hermippi narratione [62]) desideravimus, contineri judicaverit, ex eis, si diligentius inspexeris, cur hoc ipsum nomen fictum sit, luculenter apparet. quae vero narrantur, eorum magna pars hausta est e Solonis elegia ad Philocyprum regem scripta, cujus nonnulli versus afferuntur. in qua nomina quoque Demophontis, a quo prior urbs condita, et Clarii fluvii, ad quem sita esse dicebatur, tradita fuisse equidem minime putaverim.

In capitibus 27. et 28. praemissis eis verbis, quibus satis notis quam rationem criticam, si quidem hoc vocabulo uti omnino licet, in rebus quaerendis ac narrandis secutus sit, Plutarchus profitetur, Solonis cum Croeso, quem Sardibus ille convenerat, colloquium narrat. in quo quamquam nihil inveniri confiteor, quo Hermippum Plutarchi auctorem fuisse aperte indicetur, tamen Prinzio (l. c. p. 39.) assentior totum ab eo repetitum esse conicienti, quia neque cur priorem auctorem hoc loco dimiserit, cogitari potest, et ex ejus libro ut Solonem decem annos Athenis afuisse cognoverat, ita quo per hoc tempus profectus quid gesserit eum exscripsisse verisimile esse supra dixi. etenim hanc suavem rem et aptam, qua animi legentium oblectarentur, haud dubie fusissime Hermippus tractaverat. neque vero ipse eam sicut alia additamentis auxit latioremque reddidit, cum jam ab aliis et multis scriptoribus exornata satis suaviterque illuminata esset. quae cum ita sint, cum Heerenius (l. c. p. 37.) Herodotum Plutarchi auctorem fuisse judicaverit, quod et Haugius et Prinzius refutaverunt, Prinzii sententia eis verbis breviter continetur quae sunt: „certe Plutarchus aliam relationem (atque Herodoteam) secutus esse videtur, quae tamen Herodotum respexit.“ (l. c. p. 39.). Plutarchum igitur Hermippo, Hermippum Herodoto, si quidem recte eum intellexi, auctore usum esse censet. quod verum esse equidem adeo nego, ut jam Hermippum „aliam relationem“

---

[60]) urbes, quibus *Σόλοι* nomen erat, et ea, quae in insula Cypro et quae in Cilicia et quae in Sicilia (appellatur haec eadem plerumque *Σολοῦς*) sita erat, cum sine dubio a Phoenicibus omnes conditae sint, ex Semitica lingua nomen derivandum est. ac quae in Hebraico verbo סֶלַע inest, ab ea radice Solorum nomen profecta esse videtur, ut simile quidem aliquid ac Graecum vocabulum *Αἴπεια*, urbem scilicet in monte praerupto sitam, significet.

[61]) *πόλιν . . . . περὶ τὸν Κλάριον ποταμὸν ἐν χωρίοις ὀχυροῖς μὲν ἄλλως δὲ δυσχερέσι καὶ φαύλοις κειμένην.*

[62]) v. p. 15.

atque Herodoteam et eam quidem, quae, ut Prinzii verba servem, Herodotum respexerit, in colloquio Solonis et Croesi ceterisque rebus, quae ad ambos pertinent, narrandis secutum esse contendam. sed haec alia relatio quae sit, id paulo infra quaerendum erit. hoc enim loco Plutarchum Hermippo usum esse satis habeo dixisse.

Ex Asia Athenas reversum Solonem quod civitatem tripartitam vidisse Plutarchus in capite 29. dicit, Hermippum auctorem hoc loco aliquis indicari eo ipso putaverit, quod trium partium earumque ducum nomina accurate et quidem recte afferuntur, cum ad res Solonis minus pertineant nec allata esse videantur nisi quodam nomina afferendi studio. cui rei ne nimium tribuamus, quomodo inter civium partes eum se gessisse dicatur, inde profecto Hermippi rationem elucere ac cognosci arbitror. nam cum lege illa a Didymo Plutarcho tradita, quam jam commemoravi, *ἄτιμον εἶναι τὸν ἐν στάσει μηδετέρας μερίδος γενόμενον* ipse jusserit, hoc loco gloriae ejus celebrandae causa medium inter partes eodem modo post leges latas atque antea eum fuisse narratur. scripsit enim Plutarchus: *εἶχε καὶ τιμὴν παρὰ πᾶσιν* et *ἐντυγχάνων ἰδίᾳ τοῖς προεστῶσι τῶν στάσεων ἀνδράσιν ἐπειρᾶτο διαλύειν καὶ ἁρμόττειν*. quae cum ex Hermippi libro profecta esse judicem, confirmatur eo mea quidem sententia, quod Diogenes (1, 58.) verbis usus est: *τῆς στάσεως γενομένης οὔτε μετὰ τῶν ἐξ ἄστεος, οὔτε μετὰ τῶν πεδιέων, ἀλλ' οὐδὲ μετὰ τῶν παράλων ἐτάχθη*. idem vero Diogenes maxime in eis, quae sequuntur, ut Hermippum auctorem planius cognoscamus, nos adjuvat. primum enim Diogenes et Plutarchus de apophthegmate a Solone Thespidi dicto idem referunt.[63]) atque Diogenes quomodo cum eis, quae Solonem Pisistrato dixisse statim in primo capite 30. Plutarchus narrat, illud arte cohaereat, et quam ob causam hoc ipso loco medium inter ea, quae ad Pisistratum pertinent, interpositum sit, luculenter nos edocet. namque ille ea, quae in capite 30. Plutarchus de apophthegmate Pisistrato dicto narrat, breviter complexus dicit: *ὅτ' οὖν Πεισίστρατος ἑαυτὸν κατέτρωσεν, ἐκεῖθεν* (sc. *ἐκ τῆς Θέσπιδος τραγῳδίας*) *ἔφη* (sc. *ὁ Σόλων*) *ταῦτα φῦναι*. contra in narratione Plutarchea, quae ipsa quoque incipit a verbis: *ἐπεὶ δὲ κατατρώσας αὐτὸς ἑαυτὸν ὁ Πεισίστρατος*, et deinde ipsum illud apophthegma praebet, nisi verbis *οὐ καλῶς . . . ὑποκρίνῃ*. quae ad *ὑποκρινόμενον Θέσπιν* pertinent, non indicatur nexus sententiarum, quem dubium est utrum Plutarchus non intellexerit an transcribendo obscuraverit. in eis autem, quae sequuntur, cum ceteris convenientes eos ex eodem fonte hausisse sumamus. Diogenis iterum neglegentia factum esse videtur, ut paullulum a Plutarcho discreparet. Plutarchus enim scripsit: *ἀντεῖπεν ὁ Σόλων ἀναστὰς καὶ πολλὰ διεξῆλθεν ὅμοια τούτοις οἷς διὰ τῶν ποιημάτων γέγραφεν· εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε κτλ.*[64]) Diogenes autem eisdem versibus allatis dicit: *τάδε ἔγραψε πρὸς τοὺς Ἀθηναίους*. Hermippum igitur optimo jure similia ac quae carminibus Pisistrato tyranno exposuisset, in concionibus quoque illo tempore Solonem dixisse videmus cogitasse. quod Plutarchus recte nobis tradidit. contra Diogenes vel is, ex cujus libro sua repetivit,

---

[63]) Plut. c. 29. Diog. 1, 59.

[64]) Bergkius cum ad hos versus, quorum ordinem invertit Plutarchus, id „memoriae errore" factum esse videri annotaverit, mirum quantum memoria Plutarchum valuisse statuit, quippe qui ejusmodi versus nec communi quadam sententia praeclaros neque a poëta celebri ortos tenuisset. praeterea Plutarchus hos versus ab eis, qui in extremo capite leguntur, separasse monendum est, cum Diogenes omnes conjunctos recto ordine praebeat.

Solonem peregrinatum talia ad Athenienses scripsisse narrat, quod quidem alia quoque re mutata factum est, de qua paulo infra agendum erit. quae vero in eodem capite 30. de alio apophthegmate narrantur, denuo cum eis, quae Diogenes 1, 49. tradidit, ad verbum congruere facile intelliges, si haec eorum verba juxta posita inter se comparaveris.

Plut. *ἀπῆλθεν εἰπών, ὅτι τῶν μέν ἐστι σοφώτερος, τῶν δὲ ἀνδρειότερος· σοφώτερος μὲν τῶν μὴ συνιέντων τὸ πραττόμενον, ἀνδρειότερος δὲ τῶν συνιέντων μέν, ἐναντιοῦσθαι δὲ τῇ τυραννίδι φοβουμένων.*

Diog. 1, 49. *λέγων ταῦτα· ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν μὲν σοφώτερος, τῶν δὲ ἀνδρειότερός εἰμι· σοφώτερος μὲν τῶν τὴν ἀπάτην μὴ συνιέντων, ἀνδρειότερος τῶν ἐπισταμένων μέν, διὰ δέος δὲ σιωπώντων.*

denique quomodo Solo a rebus publicis remotus in otium recesserit, apophthegmate iterum addito, a Plutarcho et a Diogene ita narratur, ut utrumque eundem auctorem et quidem Hermippum secutum esse appareat.

Plut. *οὐδενὸς δὲ προσέχοντος αὐτῷ διὰ τὸν φόβον ἀπῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ, καὶ λαβὼν τὰ ὅπλα καὶ πρὸ τῶν θυρῶν θέμενος εἰς τὸν στενωπόν „ἐμοὶ μὲν“ εἶπεν „ὡς δυνατὸν ἦν βεβοήθηται τῇ πατρίδι καὶ τοῖς νόμοις.*

Diog. 1, 50. *ἤδη αὐτοῦ* (sc. *Πεισιστράτου*) *κρατοῦντος οὐ πείθων ἔθηκε τὰ ὅπλα πρὸ τοῦ στρατηγείου καὶ εἰπών· ὦ πατρίς, βεβοήθηκά σοι καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ. ἀπέπλευσεν εἰς Αἴγυπτον* (sic!) *κτλ.*

quaecunque autem praeterea in capitibus 29. et 30. inter ea, de quibus cum Diogene congruit, interposita Plutarchus affert, nihil fere continent nisi Soloneorum carminum soluta oratione paucis dilatatam transscriptionem, cujus auctorem Hermippum esse identidem cognovimus. verba enim, quae sunt in capite 29. *ἐπειρᾶτο πραΰνειν καὶ νουθετεῖν* (sc. *τὸν Πεισίστρατον*) *καὶ πρὸς αὐτὸν ἔλεγεν καὶ πρὸς ἑτέρους, ὡς εἴ τις ἐξέλοι τὸ φιλόπρωτον αὐτοῦ τῆς ψυχῆς καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἰάσαιτο τῆς τυραννίδος, οὐκ ἔστιν ἄλλος εὐφυέστερος πρὸς ἀρετὴν οὐδὲ βελτίων πολίτης* eo pertinere Leutschius (l. c. p. 138.) monuit. quae vero antecedunt sententiae, eae ipsae quoque abundant poëticis et trohaicis, ut ita dicam, vocabulis veluti *αἱμύλον τι, εὐλαβὴς καὶ κόσμιος ἀνήρ* (= *κόσμιος καὶ εὐλαβὴς ἀνήρ*), *δυσχεραίνων*, aliis. neque igitur quidquam nisi in capite 30. *καὶ διελέχθη πρὸς τοὺς πολίτας, τὰ μὲν κακίζων τὴν ἀβουλίαν αὐτῶν καὶ μαλακίαν τὰ δὲ παροξύνων ἔτι καὶ παρακαλῶν μὴ προέσθαι τὴν ἐλευθερίαν* ex eis elegiis, quarum sunt fragmenta 9. et 11. (B.), hausta esse jam addimus.

Quoniam igitur capita 29. et 30. Hermippea esse cognovimus, restat ut, id quod adhuc omisimus, de ea re, qua Plutarchus et Diogenes inter se discrepant, agatur. nam cum Plutarchus Solonem post leges latas statim Athenis profectum eo tempore rediisse narrat, quo cives in partes discessissent (c. 29.), et postea patria non iterum relicta in ipsa urbe mortuum esse statuere videatur, Diogenes eum, postquam tyrannidem sua opera a civibus prohiberi non posse intellexisset (1, 50.), urbe relicta litteris missis etiam cives, ut libertatem servarent, adhortatum (1, 51) in insula Cypro de vita decessisse (1, 62) tradit. itaque sine dubio jam antiquis temporibus duas exstitisse relationes staduendum est, quibus de itineribus a Solone post leges latas factis diversa circumferrentur.[65]) quodsi Diogenes vel ejus auctor eam sibi vindicavit, qua Solo Pisistrato tyranno Athenis afuisse et Cypri mortuus esse

---

[65]) Westermann in editionis suae epimetro (p. 88.) similia conjecit.

diceretur, id inde factum est, quod ea sola cum epistolis conveniebat, quas a Solone et datas et acceptas ille integras tradidit.[66]) et ipse vero et Plutarchus num in fonte communi unam tantum relationem invenerint, maxime dubium mihi esse videtur. namque cum Diogenes omnino excerpta tantum nobis praebeat et Plutarchus, quae legerat, haud raro valde minuerit, Hermippum, quem sequebantur, de ejusmodi rebus diversa, quae ferrentur, ipsum colligere et tradere studuisse cognovimus. itaque de hac quoque re diversa eum rettulisse ut per se verisimile est, ita si modo singula respexeris manifestum erit. quam ob rem jam quaeritur, utrum ea separata ut diversas relationes praebuerit, an, quod saepius eum fecisse vidimus, ad narrationem augendam in unum diversa conjunxerit, ut Solo post leges latas primum Athenis profectus paulo ante libertatem reipublicae a Pisistrato eversam, revertisse et Pisistrato tyranno facto iterum abiisse putaretur. atque profecto Hermippus cum Solonem eo tempore, quo Pisistratus pro tyranno se gerere coepisset, Athenas revertisse dixerit, nihilo tamen setius ipse quoque eum procul Athenis de vita decessisse narrasse videtur. nam cum et Diogenes (1, 62.) et Plutarchus (c. 32.) combusti Solonis cinerem circa insulam Salaminem dispersum esse tradant, quoniam sequi videtur, ut idem ab Hermippo narratum fuisse jure sumamus: hocine cur factum sit, intellegis, si extrema vita tranquilla et quieta usum Solonem Athenis mortuum esse dictum sit? immo dispergi cinerem suum Solonem voluisse et primus auctor (Cratinus?) et ceteri putasse et tradidisse videntur eo consilio, quo Lycurgus idem fecisse fertur: ne mortui corpus in patriam unquam reveheretur. ergo Hermippum, quippe qui Solonis cinerem dispersum esse narraverit, morte peregrina absumptum eum esse dixisse sumendum est. quod ipsum vel inde confirmatur, quod quomodo et quo loco quis mortuus sit, ubi Diogenes narret, ibi ex Hermippi libri eum hausisse Nietzschio auctore supra docui. itaque quin utrumque et Solonem Cypri mortuum et ejus cinerem circa Salaminem dispersum esse, quae Diogenes eodem loco narret, in Hermippeo quoque libro traditum fuerit, dubium non esse putaverim. narratione igitur Hermippea quodammodo mutilata Plutarchus Solonem iterum ex urbe discessisse omisit adicere, sive quia ad finem pervenire studebat, sive quia denuo ad alterum auctorem suum se conferebat, a quo quae tradita essent ea in extrema vita Hermippeis admixta esse jam demonstraturus sum. neque vero contra eam, quam defendimus, sententiam quidquam afferri posse video, nisi quod in extremo capite 30. Plutarchus id ipsis verbis affirmat, Solonem per reliquum tempus (*τὸ λοιπόν*) vita tranquilla usum neque amicorum consilia secutum Athenis mansisse. quod ut adderet, cum ab Hermippea narratione maxime abhorreret, quomodo factum sit, intellegi non posse nescio an quis opposuerit. atenim primum Plutarchum in capite 30. Hermippea, quae legisset, aliquo modo mutasse supra (p. 23. ann. 64.) vidimus, cum versus, quos ad idem carmen pertinere et Diodorus et Diogenes docent et quos uno eodemque loco et recto ordine ab Hermippo allatos esse et per se et ex Diogenis libro verisimile est, inepte inversos et dissipatos partim in medio partim in extremo capite praebeat. praeterea miror, quod Solonem antea timore perductum domum abiisse (*διὰ τὸν φόβον ἀπῆλθεν*), tum timore liberum Athenienses non mediocriter objurgasse Plutarchus narrat. quae cum ita sint, cum Hermippus fortasse Solonem Pisistrato tyrranno aliquamdiu, ut repugnaret, Athenis mansisse, postea ubi nihil se profecturum esse cognosset, urbem reliquisse narrasset, Plutarchus ut narrandi finem faceret et pauca Didymea

---

[66]) Diog. 1, 53. 64.—67.

additurus ad alterum auctorem transiret, in extremo capite 30. alia inseruit alia mutavit. itaque factum est, ut vocabulum *τὸ λοιπὸν* narrationi iniceret, quo ut Hermippeam relationem prorsus immutaret, tanto facilius adductus est, quanto magis ita cum Didymea convenire videretur.

In ultimis duobus capitibus (31. 32.) sicuti in primo permultos auctores, nominatim allatos invenimus, qua re ipsa ut primam ita extremam vitam Plutarchum ex duobus, quibus utebatur, libris quasi contexuisse apparet. atque particulis, quae sunt *οὐ μὴν ἀλλά*, quibus quisquis in Plutarchi libris versatus erit, saepissime eum ad alium fontem exscribendum transire non ignorat, relicto Hermippo Didymum sequi coepisse mihi videtur. namque primum Pisistratum Areopagi judicium subiisse narratur, quod quin ex Aristotelis libro per Didymum Plutarcho obvenerit, jure jam Prinzius non dubitat.[67]) eadem autem ratione Plutarchus de lege certior factus esse videtur, qua Pisistratus cives bello debilitatos publice ali jussisse dicitur, cum Diogenes de hac re 1, 55. aliter referat. denique a Didymo repetivit, quod narrasse dicit Heraclidem Ponticum, quippe a quo quod traditum erat etiam in capite 22. per Didymum acceperit. contra Hermippum, quod ex Theophrasti libro affertur, Plutarcho praebuisse puto, cum per illum, quae ab eodem tradita essent, et in Soloneae vitae capite 4. et in Lycurgeae capite 10. ad Plutarchum translata sint. deinceps quae memorantur de Atlantico carmine et de Platone, cum quae de eisdem in capite 26. narrata sint, ab Hermippo profecta esse viderimus, non alii cuiquam tribuenda esse jam concedes. neque vero dubito, quin a Didymo, quae restent, derivata sint. nam ut non dicam de brevitate ac simplicate, qua narrantur, nec de temporum accurata quae additur descriptione, quae minime Hermippea sunt, iterum Heraclides, deinde Phanias, denique Aristoteles testes laudantur. in numero vero eorum, qui *ἄλλοι ἄνδρες ἀξιόλογοι* appellantur, et quos de cinere Solonis disperso cum Aristotele convenire scriptor dicit, est etiam Hermippus, quippe quem hanc rem non omisisse modo viderimus. neque vero Plutarchus, qua erat credulitate, fuit is, qui eam ut crederet non adductus est, *τὴν διασπορὰν ἀπίθανον παντάπασι καὶ μυθώδη εἶναι* ratus, sed, si non ipse Aristoteles[68]), at doctus ille Didymus, cui Plutarchus exceptis Solonis carminum fragmentis, quamquam uno tantum loco eum praeteriens nominatim laudavit, optima quaeque in vita sua narrata debet.

Quaestione igitur absoluta, quae comprobasse videor, si brevi quadam comprehensione repetere licet, Didymea narratio in Solonis vita Plutarchea longius patet per caput 17. (?) 18. usque ad verba *μετεῖχον τῆς πολιτείας*, per caput 19.—26. usque ad *ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς* et praeterea assumpta est in capite 1. 11. 14. 15. 31. 32. neque vero his locis quidquam nisi aliorum verba allata ex ea transscripta sunt. qua re eum Didymi librum, quo de Solonis legibus expositum erat, sicut alios ab illo compositos ex multorum auctorum libris diligentissime compilatum fuisse apparet. neque vero negari potest, ea quae Plutarchus inde repetiverit, dignissima esse, quibus historici fidem habeant, quin etiam haud raro, si alii scriptores diversa aut contraria exhibeant, unum esse fontem, ex quo Solonis vita gestaeque res verae et integrae hauriantur.

---

[67]) v. Prinz, l. c. p. 22.
[68]) v. Prinz, l. c. p. 19.

Cetera autem omnia nituntur auctoritate Hermippi. praeter quem neque apophthegmatum neque carminum collectione Plutarchus usus est. apophthegmata enim, quae suavi quadam narratione inducta omnia ab eo ita afferuntur, ut maxime abhorreant ab eis, quae ex Apollodori *περὶ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεων* libro desumpta Diogenes 1, 60. tradidit, ex Hermippeo opere hausta esse, quia satis eo demonstrasse videor, quod ea aut cum ceteris[69]) aut inter se ipsa[70]) arte cohaerere aut cum Diogenea narratione[71]) prorsus congruere docui. ac carminum quidem ob similes quasdam causas apparuisse puto Plutarchum multa fragmenta ab eodem Hermippo accepisse. quod etiamsi non in omnia pariter valere videatur, tamen, dum item apparuerit, ex quonam alio fonte alia ei obvenerint, omnia ab illo translata esse sumere licebit. neque vero solum Hermippus ex Alexandrina, qua utebatur, collectione singulos versus integros in librum suum transscripsit, sed etiam tota carmina perscrutatus, quid historiae continerent vel potius continere ei viderentur, ratione non semper illa quidem digna, quam probemus, attamen summa diligentia eruere studuit. quamquam omnia, quae ab Hermippo tradita e Solonis carminibus derivata sunt, ipsum primum excogitasse sumamus necesse non est. etenim dubium est, an multa homo ille Alexandrinus, ut erat in litteris maxime versatus, ex aliorum libris desumpserit, quibus plurimis ad singulas omnes res congerendas et, quae diversa de eis tradita essent, comparanda eum usum esse satis intelleximus. quos autem secutus sit in eis rebus narrandis, quae ad carmina veluti ad principalem fontem revocari possunt, id novisse, ut nostra non multum refert: ita maximi est momenti, ut cognoscamus, quibus auctoribus usus cetera memoriae tradiderit. gaudeo igitur, quod ex eis, unde ea hauserit, fontibus unum saltem et eum quidem per longiorem quandam partem patentem et ipse cognovisse mihi videor et aliis fore ut probem sperare possum. est enim praeclara illa — Ephori historia, cujus quae ad Solonem pertinet partis a Diodoro in bibliothecae suae librum 9. transscriptae fragmenta in excerptis Vaticanis, quae dicuntur, servata esse Rudolphus Klueber luculenter demonstravit.[72]) quae igitur ex Ephori libro Hermippus repetiverit, accuratius quaerere atque exponere nobis nunc ad extremum liceat.

Collata Ephorea Diodori naratione cum Plutarchi Diogenisque Hermippea, imprimis, ut nunc quidem perficiam, quod supra (p. 70) promisi, ea, quae de Solonis et Croesi conventu ac colloquio ab utroque narrantur, prorsus congruunt. itaque illa „alia relatio“, quam cum Herodotea paucis congruere, ceteris discrepare Prinzius recte vidit, et quam equidem perfectam jam Hermippo dumtaxat transscribendam fuisse judicavi, non alia est atque Ephori, quem ipsum Herodoti librum in rebus narrandis assumpsisse satis constat. haec vero, ut breviore quidem quam pulchriore enumeratione usus breviter utriusque verbis opponendis rem oculis legentium subiciam et paucis illustrem, sunt ea, quibus Diodori[73]) et Plutarchi[74]) narrationes ita convenire puto, ut jam omnis a sententia mea dubitatio amoveatur:

1. Solo a Croeso invitatus Sardes pervenit.

Plut. *Σόλωνά φασιν εἰς Σάρδεις δεηθέντι τῷ Κροίσῳ παραγενόμενον.*

Diod. fr. 26. *μετεπέμψατο δὲ καὶ Σόλωνα.* — cf. fr. 2. — v. Diog. 1, 40.

---

[69]) v. c. 6. 14. 15. 28. 30.
[70]) v. c. 29. 30.
[71]) v. c. 5. 18. 29. 30.
[72]) Rud. Klüber, über die quellen des Diodor von Sicilien im 9. buch. Würzburg 1868.
[73]) Diod. 9. fr. 2. 26. 27. 28. 33. 34. edit. Dindorfii Teubn. vol. II. 1867.
[74]) Plut. c. 27. 28.

ceteros quoque sapientes praeter Thalem ad Croesum venisse, non fuit, cur Hermippus in vita Solonea commemoraret, eorumque cum Croeso colloquia in ipsorum vitis sine dubio rettulit.

2. Solo Croeso ipsis verbis interroganti, num se beatiorem unquam viderit, neminem ante mortem beatum praedicandum esse respondet.

Plut. 28. *εἴ τινα οἶδεν ἀνθρώπων αὐτοῦ μακαριώτερον.*

Diod. fr. 27. *τίνα τῶν ὄντων εὐδαιμονέστατον ἑώρακεν, ὡς τοῦτό γε πάντως ἀποδοθησόμενον ἑαυτῷ.*

Teilum, Cleobim, Bitonem beatos Solonem dixisse (Plut. c. 27.), etiamsi in fragmentis Diodori non invenitur, tamen non dubito, quin ab Ephoro hac in re Herodotum (1, 30 sq.) secuto et a Diodoro ipso narratum sit.

3. Aesopus eodem tempore Sardes ad Croesum profectus Solonem, ut sapienter quidpiam proferat, adducit. quod Sardibus factum esse etiamsi in Diodori, quae servata sunt, excerptis non definite atque his ipsis verbis dicitur, tamen eis, quae sunt *κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους συνήκμαζεν*, quibus inducta haec narratio aliis, quae ad Croesum pertinent, inserta est, scriptorem illud ut non dixisse ita posuisse demonstratur. [75])

Plut. 28. *ὁ δὲ λογοποιὸς Αἴσωπος, ἐτύγχανε γὰρ εἰς Σάρδεις μετάπεμπτος γεγονὼς ὑπὸ Κροίσου καὶ τιμώμενος, ἠχθέσθη τῷ Σόλωνι μηδεμιᾶς τυχόντι φιλανθρωπίας καὶ προτρέπων αὐτόν „ὦ Σόλων“ ἔφη „τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν.“ καὶ ὁ Σόλων „μὰ Δί'“ εἶπεν „ἀλλ' ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα.*

Diod. fr. 28. *ὅτι Αἴσωπος κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους συνήκμαζε τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς καὶ εἶπεν ὡς οὐκ οἴδασιν οὗτοι ὁμιλεῖν δυνάστῃ· καὶ γὰρ ὡς ἥκιστα δεῖν ἢ ὡς ἥδιστα τοῖς τοιούτοις.*

4. Croesus in rogo positus, cum iterum iterumque Solonem clamavisset, a Cyro, quid hoc sibi vellet, edocto servatur (Plut. c. 28. Dioe. fr. 2. 33, 3. 34.). quod ut fieret, etiamsi Ephorum sicut Herodotum narrasse e fragmentis 33, 4. et 34. apparet, Apollinem, ut Croesum adjuvaret, imbrem misisse — quod Plutarchus Hermippum secutus omisit —, tamen hac re discrepantia non continetur, cum quam facile accidere potuerit, ut Ephori narratio et a Plutarcho et ab Hermippo, qui de Solone tantummodo agerent, minueretur, is qui Diodori verba excerpens fragmentum 2. composuit, nos doceat, quippe qui eadem causa commotus idem fecerit.

Plut. 28. *ἀλλὰ καὶ τιμῶν ἐφ' ὅσον ἔζη διετέλεσε.*

Diod. fr. 34. *μεθ' ἑαυτοῦ περιήγετο τὸν Κροῖσον ἐντίμως.*

---

[75]) de hac re jam Klueberum dixisse video l. c. p. 7. ann. 1. „dass das, was fr. 28. bei Diod. und Plut. Sol. c. 28. von Aesop. berichtet wird, auf die quelle Diodors zurückgeht,“ eumque addidisse: „ebenso dürfte die antwort, die Diog. Laert. 1, 51. nach einigen (*φασὶ δέ τινες*) Solon auf die Frage des Croesus *εἴ τι θέαμα κάλλιον τεθέαται* geben lässt, auf Diodors quelle zurückzuführen sein; denn ihre argumentation: *φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκόσμηται καὶ μυρίῳ καλλίονι* stimmt vollkommen mit derjenigen überein, die Anacharsis bei Diodor fr. 25. fin. gibt: *ὁ δὲ ἐδίδασκεν ὅτι τὴν τῆς φύσεως ἀλήθειαν τῆς τοῦ νόμου θέσεως προτιμᾶν ἰδιώτατον ὑπάρχειν σοφίας.* eine auslassung bei Diod. ist durchaus nicht unwahrscheinlich.“

Quae cum ita sint, quin in eis, quae de Solonis et Croesi colloquio narrantur, ut Hermippo Plutarchus, ita Hermippus Ephoro auctore usus sit, omnino dubitari nequit. alia vero, quae ex Ephori libro in Hermippeum transierunt, non ut illa, quae ipsa satis poëticum quendam colorem referebant, integra fere ab Hermippo servata, sed ab ipso ea, quam sequebatur, ratione retractata et rebus undique quaesitis quasi suppleta sunt. etenim praeter illam de Croeso narrationem haec Hermippum ex Ephori libro in opus suum transtulisse puto, quae eadem ratione, qua modo usus sum, breviter enumerare velim liceat.

1. Solonem in insula Salamine natum esse, quod Diodorus fr. 1. Ephorum, Diogenes 1, 45. Hermippum secutus narrat. Plutarchus quidem id ob eandem causam omisit, ob quam Solonem in insula Cypro mortuum esse non tradidit. namque ut in extrema vita Plutarchea Didymi libro assumpto, quae de morte Hermippus, ita in prima vita, quae de origine Solonis dixerat, loco suo demota sunt.

2. tres de tripode celebri relationes. cf. Plut. Sol. 4. Diog. 1, 27.—33. 82. Diod. fr. 3. 13. de quibus quoniam, si singula omnia tractaremus, fusius disserere cogeremur, ad Bohrenii[76]) de septem sapientibus librum et ad Klueberi opusculum[77]) relegare liceat, cum ex eis, quae hi disputaverunt, respectis eis, quae ipse exposui, facile id, quod volo, intellegi potest. neque de eis, quae sequuntur, rebus omnino quidquam dicendum est, si locos, quos perscripsimus, comparare volueris.

3. Solonem athletas, qui Graece dicuntur, non magni aestimasse.

Diog. 1, 56. *συνέστειλε δὲ καὶ τὰς τιμὰς τῶν ἐν ἀγῶσιν ἀθλητῶν . . . ἀπειρόκαλον γὰρ τὸ ἐξαίρειν τὰς τούτων τιμάς . . . . ὁ Σόλων μετρίως αὐτοὺς ἀπεδέξατο.*

Diod. fr. 2, 5. *ὁ Σόλων ἡγεῖτο τοὺς μὲν πύκτας καὶ σταδιεῖς καὶ τοὺς ἄλλους ἀθλητὰς μηδὲν ἀξιόλογον συμβάλλεσθαι ταῖς πόλεσι πρὸς σωτηρίαν.*

4. Solonem tyrranidem exorituram praedixisse.

Diog. 1, 55. *τὰ δὲ περὶ τῆς τοῦ Πεισιστράτου τυραννίδος ἐλεγεῖα προλέγοντος αὐτοῦ ταῦτα ἦν· ἐκ νεφέλης φέρεται χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης κτλ.*

Plut. 29. *τούτοις γὰρ ἐξηπάτα* (sc. *Πεισίστρατος*) *τοὺς πολλούς· ὁ δὲ Σόλων ταχὺ τὸ ἦθος ἐφώρασεν καὶ τὴν ἐπιβουλὴν πρῶτος ἐγκατεῖδεν.*

Diod. fr. 21, 2. *λέγεται δὲ Σόλων καὶ προειπεῖν τοῖς Ἀθηναίοις τὴν ἐσομένην τυραννίδα δι᾽ ἐλεγείων· ἐκ νεφέλης πέλεται χίονος μένος ἠδὲ κτλ.*

5. quae et eo tempore, quo Pisistratus tyranndem instituturus erat et quo instituerat, a Solone gesta esse dicuntur.

Diog. 49. 60. *Πεισίστρατον . . . . . . . . τὸ ἐφ᾽ ἑαυτῷ διεκώλυσεν.*

*ἄξας γὰρ εἰς τὴν ἐκκλησίαν μετὰ δόρατος καὶ ἀσπίδος κτλ.*

Plut. 29. 30. *ἐπειρᾶτο πραΰνειν καὶ νουθετεῖν καὶ πρὸς αὐτὸν ἔλεγεν καὶ πρὸς ἑτέρους ὡς . . . . . τὴν ἐπιθυμίαν ἰάσαιτο τῆς τυραννίδος . . . . . . . . προῆλθεν εἰς ἀγοράν . . . . ἦν σφόδρα γέρων . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .*

Diod. fr. 4. *τὸ μὲν πρῶτον λόγοις ἐπεχείρησεν ἀποτρέπειν ταύτης τῆς ἐπιβολῆς· οὐ προσέχοντος δὲ αὐτοῖ προῆλθεν εἰς τὴν ἀγορὰν μετὰ τῆς πανοπλίας παντελῶς ἤδη γεγηρακώς. συνδραμόντος δὲ τοῦ πλήθους*

[76]) Bohren, de septem sapientibus. Bonnae. 1867. p. 48.

[77]) Klüber, l. c. p. 8. sq.

| | | |
|---|---|---|
| καὶ ἡ βουλή, Πεισιστρατίδαι ὄντες, μαίνεσθαι ἔλεγον αὐτόν. | διελέχθη πρὸς τοὺς πολίτας, τὰ μὲν κακίζων τὴν ἀβουλίαν αὐτῶν ...... παρακαλῶν μὴ προέσθαι τὴν ἐλευθερίαν ........ οὐδενὸς δὲ προσέχοντος αὐτῷ διὰ τὸν φόβον ἀπῆλθεν κτλ. | πρὸς αὐτὸν διὰ τὸ παράδοξον, παρεκάλει τοὺς πολίτας ἀναλαβεῖν τὰ ὅπλα καὶ παραχρῆμα καταλύειν τὸν τύραννον. οὐδενὸς δὲ αὐτῷ προσέχοντος καὶ πάντων αὐτοῦ μανίαν καταγινωσκόντων κτλ. cf. fr. 21. |

His igitur, quae enumeravimus, comparatis, cum alia inde desumpta esse ut demonstrari non possit, ita verisimile sit, Ephoro Hermippum auctore singulari ac praecipuo usum esse plane apparet. nihilo tamen setius alia etiam ratione hanc, quam proposuimus, sententiam confirmari posse breviter addiderim. nam ut in vita Solonea ita in Lycurgea vita Plutarchum per magnam partem Hermippum secutum esse Gilbertum demonstrasse non uno loco monui. quae autem narrantur ea parte, quam Hermippi esse ille recte judicavit, cum eis, quae Ephorum paucis ejus fragmentis servatis tradidisse cognovimus, ita conveniunt, ut Gustavus Fluegel [78]) Ephorum Plutarchi rerum Lycurgearum auctorem judicandum esse censuerit. atque cum quae universa congruunt, singulis tamen nonnullis rebus discrepent, [79]) ille jam per alium Ephori narrationem paulo mutatam ad Plutarchum translatam esse et per Aristocratem quidem putavit. quem cum Plutarchi ipsius auctorem esse per illa capita optimo jure Gilbertus negaverit, id quod is ipse suspicatus paucis jam attigerit, [80]) equidem nunc, — si recte, quae modo dixi, disputata sunt — ut in vita Solonea ita in Lycurgea ut Plutarchum Hermippo ita Hermippum Ephoro auctore usum esse pro certo affirmare non dubito.

Haec fere habui, quae partim nova partim certiora de Solonis Plutarchei fontibus et auctoritate afferre posse mihi viderer. fore igitur spero, ut paulo magis, quam qui de eadem re antea egerunt, ego tertius vera proposuisse videar et docuisse, quid pro certo de ea statuendum sit.

---

[78]) Flügel, die quellen in Plutarchs Lycurg. Marburg. 1870.

[79]) Flügel, l. c. p. 23.

[80]) Gilbert. l. c. p. 101.: „die fast wörtliche übereinstimmung des Plutarch (Lyc. 3.) mit einer stelle des Ephorus (Müller, fr. hist. Gr. I. p. 251.) kann auch dann nicht auffallen, wenn man Hermippus als quelle für die ersten capitel des Plutarch annimmt, da auch dieser den Ephorus sehr wol benutzen konnte."

# Städtisches
# Progymnasium zu Allenstein.

Zu der

Freitag den 4. Oktober 1878

stattfindenden

## öffentlichen Prüfung aller Klassen

ladet

**im Namen des Lehrer-Collegiums**

ein

Dr. F. Friedersdorff,

Dirigent.

---

Inhalt:



**Königsberg in Pr.**
Druck von Longrien & Leupold (R. Leupold).
1878.

1878. Progr. Nr. 1.

# Quaestionum Solonearum particula altera.

## De
## insula Salamine Solone auctore ab Atheniensibus expugnata.

Scripsit **Henricus Begemann**, Dr.

Priore harum quaestionum particula*) quoniam nuper Plutarcheae Solonis vitae, utpote in qua consistere credendum sit quasi fundamentum historiae Solonis vere construendae, quoad ejus fieri posse videbatur, qui essent fontes, quae auctoritas, denuo indagando eruere atque constituere sum conatus: nunc ad res ipsas tractandas progressurus primam haud alienum esse putavi inquirere in Salaminis insulae, quae Solone et auctore et duce facta esse fertur, expugnationem. de qua qui judicia his annis protulerunt, maxime a vero aberravisse mihi visi sunt. quae cum inter omnes, quae ad Solonem pertinent, res secundum ipsas leges saepissime a rerum scriptoribus vel narrata vel commemorata sit: re vera quomodo se habuerit tradi magis magisque desita est. namque quod istius insulae expugnatio et gravissima fuit amplificandis fortunis opibusque Atheniensium, quippe qui antea vi classibusque facillime a mari intercluderentur, et aptissima ad celebrandam gloriam Solonis, quippe qui aliquo modo expugnationis particeps fuisset: factum est, ut caligine quadam obduceretur, quam ne nunc quidem homines docti satis removerunt. quod vere me dicere facile concedes, si ea memineris, quae de insula Salamine expugnata in egregio illo de rebus Graecis libro Ernestus Curtius scripsit. elegiae enim Soloneae reliquiis ipse quodammodo excitatus et percussus de Solonis laudibus grandi quadam et sublimi oratione usus identidem disseruit ea, quae quin perpaucis probentur non dubito, quam ob rem ab Ernesto de Leutsch (philol. v. XXXI. p. 144. sq.) non ita leniter vituperatus, ut ea satis mutaret, ne in quarta quidem editione anni 1874. (I. p. 304.) a se impetravit.

Atque unus qui exstat primarius, ut ita dicam, ac Solonis ipsius aetate ortus rerum Salaminiarum fons est ea, quae servata est, illius carminis pars, quod quidem Solo composuit, ut cives ad bellum contra Megarenses renovandum excitaret. inde igitur cum in causam ingredimur, jam velut in ejus vestibulo observamur exortam quaestionem, num quae vulgo feruntur re vera ex illa Solonis elegia orta sint. namque ex distichis, quae dicuntur, quattuor, ex quibus elegiam Salaminiam constitisse rerum scriptores tradiderunt, olim Niebuhrius (vorles. üb. alte gesch. I. p. 344.) unum ac quidem id, quod Plutarchus primum fuisse narrat, subditum esse judicavit, quod nuper Leutschius l. c. p. 137. denuo monuit. est autem hoc:

αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος,
κόσμον ἐπέων ᾠδὴν τ' ἀντ' ἀγορῆς θέμενος.

atque profecto, ut non dicam haec per se inepta esse, quis erat qui Soloni crederet, ex insula ab hostibus occupata Athenas venisse praeconem? quid, quod Salamine cum praeconem venire necesse esset Salaminium, tamen is, qui advenit, Ἀθηναῖον sive Ἀττικὸν se nominans Athenas patriam, ut ignominiam fugeret, alia patria commutare ardenter cupere sese affirmat, ne in numero τῶν Σαλαμιναφετῶν ab hominibus et fama haberetur? neque vero fieri poterat, ut ἴομεν diceret is praeco, qui ipse Salamine profectus Athenienses, ut bellum inirent, commovere studeret (cf. Hermann, lehrb. der griech.

*) edit. diss. Gottingensi et progr. Holtesmindensi a. 1875.

antiq. I. p. 339. n. 4.) ergo ab eo, de quo agimus, disticho ut Solo carmen Salaminium ordiretur, fieri potuisse justo jure Niebuhrius negat. quodsi nihilo setius et Niebuhrius et Leutschius, illos versus a Solone utique ortos esse rati, ex alio quodam ejus carmine, quo ad Salaminiam elegiam respiceret, eos desumptos et ab eis, qui Solonem se praeconem simulantem carmen recitasse fingerent, elegiae Salaminiae praescriptos esse conjecerunt, id quonam argumento vel indicio nitatur equidem non video. contra ob quas causas hi versus ad illam elegiam non pertineant, ob easdem a Solone eos omnino non esse factos judico. neque igitur aliud quidquam pro certo proponendum esse videtur nisi illa verba esse „prooemii cujusdam, quo“ p o s t e a „Soloneum carmen narratum sit.“ ceteris autem versibus (v. Bergk, poet. lyr. gr. Sol. fr. 2. 3.), qui quin ab ipso Solone compositi sint non est cur dubitemus, Solo Atheniensibus ipsorum ignominiam turpitudinemque vehementer exprobrat et ut ad eam tollendam statim insulae expugnandae causa bellum inirent adhortatur. quod ipsum cum totius carminis quasi argumentum fuisse jure sumamus, et Salaminem Solonis temporibus ab aliis ita fuisse occupatam, ut Atheniensibus dedecori esset, et Solonem ipsum cives, ut ad maculam delendam eam expugnarent, adhortatum esse e carminis Solonei reliquiis cognoscimus. neque autem aliud quidquam inde comperitur, nisi quod constitisse carmen e centum versibus et Σαλαμῖνα inscriptum fuisse auctores quidam tradunt (Plut. Sol. 8. Suidas s. v. Σόλων. Eudoc. p. 387.). praeterea χαριέντως illos πάνυ πεποιημένους fuisse Hermippo haud dubie auctore (vid. spec. I. p. 10. et 27.) Plutarchus addit et Polyaenus (1,20,1) eos ἀρήια ᾄσματα dicit.

Jam vero quamnam ob causam Solo civibus insulam ab aliis occupatam probro duxerit cum quaeritur, illud haudquaquam inter auctores discrepat, si quidem referunt, Athenienses cum bellum antea de insula Salamine contra Megarenses male gessissent, de victoria desperantes, ne omissum renovaretur, lege lata prohibuisse. capite enim ab eis sanctum esse traditur, ne cui ut renovaretur ad populum ferre liceret. quod quoniam narrant cum Plutarchus (Sol. 8.), Diogenes (1,46.), Justinus (2,7.), Frontinus (strat. 4, 7, 44.), Polyaenus (1, 20, 1.), alii, tum maxime Demosthenes (19, 252.), quo antiquiorem scriptorem tradidisse Solonem, ut insula expugnaretur, effecisse non invenimus, talem legem Solonis temporibus exstitisse Athenienses ipsos existimasse satis apparere mihi videtur. nihilo tamen setius eam exstitisse nostri homines (v. Prinz, de Sol. Plut. font. Bonnae. 1867. p. 3. sq.) negaverunt, cum tantam ignominiam ea contineri putarent, quantam Athenienses unquam sibi intulisse cogitari non possent. atenim similes leges, quibus quidquam ne quis ad populum ferret prohiberetur, etiam adultis Athenis haud ita raro perlatas esse satis constat (v. Thuc. 2, 24. 8, 15. — Schaefer, Demosth. I. p. 185. Boeckh, staatshaush. I. p. 194. ed. I.). etiamsi igitur ea lex, qua tanta se ignominia Athenienses affecerunt, in alia ulla republica bene temperata futurum non fuisse ut rogaretur concedo, tamen fieri sane potuisse putaverim, ut quod florentissimis quidem rebus de turpitudine securi in se admiserunt, id eo tempore, quo vel maxime res publica labefactata erat, cum suo dedecore facerent. ergo quod Demosthenes quamvis turpiter Athenienses fecisse credidit, equidem, etiamsi insignis quaedam turpitudo eo continebatur, tamen eos fecisse non negaverim. neque igitur quin illa lex, qua de agitur, Solonis temporibus fuerit, omnino dubitandum esse mihi videtur.

Solo igitur, ut bellum de Salamine insula in Megarenses renovarent, cum cives contra illam legem commovere studeret, carmine componendo ad poesim confugit. quod quidem illo tempore haud ita insolitum fuisse olim jam Grotius (gesch. Griechenl. übers. v. Meissner II. p. 71.) monuit. poesis enim tunc locum obtinebat solutae orationis, qua gentes humanitate politiores ut ad alios ita ad componendos, qui ad rem publicam bene et utiliter administrandam pertinent, libellos nunc utuntur. ad id vero ipsum, quod Solo voluit, efficiendum, cum civium animi incitandi atque inflammandi essent, ut ardore aliquo perculsi legem, qua singuli capitis poena tenebantur, omnium paene consensu removerent atque tollerent, carmen multo plus valuisse soluta oratione quis est, qui neget?

Sed cum de vindicanda insula non modo ad populum ferre, sed omnino verba facere (νόμον θέντα μήτε γράψαι τινὰ μήτ' εἰπεῖν. Plut. Sol. 8. θάνατον ζημίαν ἐψηφισμένων, ἄν τις εἴπῃ κομίζεσθαι. Demosth. 19,252.) omnes lege prohibitos fuisse auctores narrarent, ne carmine quidem Solo cives, ut bellum inirent, adhortari sine magno suo periculo potuisse quibusdam visus est. itaque quomodo carmen

in lucem ita protulerit, ut poenam quam maxime vitaret, magna opera alii alia excogitaverunt. alii enim Solonem carmen recitantem, ne supplicio afficeretur, insaniam simulasse, alii, ut sacrosanctus videretur, pro praecone se gessisse narraverunt. Hermippus vero, cujus auctoritatem Diogenes et Plutarchus secuti sunt, has duas, quae exstabant, relationes in unum ita conjunxit, ut Solonem insania simulata praeconis nomine carmen in foro Atheniensibus recitasse diceret (Plut. Sol. 8. Diog. 1, 46. cf. part. I. p. 9. sq.). quae quidem res quam absurda sit comprobare, quoniam parum credibilia et a Plutarcho et a Diogene tradita esse satis alii docuerunt, supersedere me posse puto. neque magis quod aut pro praecone se gessisse*) aut insaniam simulasse dicitur, fusius tractandum est, quandoquidem Demosthenes, quo nemo aut antiquior aut fide dignior de hac re scriptor facit mentionem, Solonem id ipsum periculum, quod utraque ratione effugere studuisse fertur, forti animo subiisse plane ac dilucide memoriae prodidit, cum dicit l. c.: τὸν ἴδιον κίνδυνον ὑποθεὶς ἐλεγεῖα ποιήσας ᾖδεν. in quibus vocabulum ᾖδεν, quo carminis recitatio significatur (cf. Aristid. v. II. p. 361. Dind.: τὰ μὲν εἰς Μεγαρέας ἔχοντα ᾆσαι λέγεται et Plut. Sol. 4: ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε τὴν ἐλεγείαν) non nimis est premendum. siquidem verbis ἐλεγεῖα ᾄδειν formula quaedam videtur contineri. neque magis illud miraberis, quod ipse Solo carmen a se factum pronuntiasse dicitur, si eodem tempore Thespidem fabulas, quas composuerat, ipsum egisse memineris. ac vero neque qua ratione usus sit neque quo loco factum sit, certius atque accuratius compertum habemus. unum tantum constat, quod quidem scire plurimum nostra refert: rem prospere successisse ita, ut Athenienses Solonem auctorem secuti lege, qua prohibebantur, sublata contra Megarenses et bellum renovasse neque eo prius destitisse, quam in perpetuam insulae possessionem venissent.

Sed de eis, quae disputavimus, inter plurimos certe homines doctos convenit. at in summa disceptatione versantur ea, ad quae nunc pergendum est. quaeritur enim et quo duce expugnata sit insula et quo tempore et qua ratione. a Plutarcho igitur, qui sicut ceteri omnes scriptores antiqui ante leges a Solone latas Salaminem expugnatam esse sumit, duae de ipsa expugnatione relationes praebentur, quarum prior haec est. Solonem belli ducem creatum auctoritate Pisistrati collegae, quippe cui persuasisset, ut ipse quoque bellum renovandum censeret, maxime esse adjutum. ambos igitur una ad Coliadem pervectos esse eo tempore, quo mulieres Atticae ibi Cereris diem festum agerent; inde eos Salaminem nuntium misisse, qui se transfugam simulans Megarenses adhortaretur, ut mulieres et inopinatas opprimere et captas auferre conarentur. interea autem ipsos mulieres abduxisse earumque vestimentis induisse juvenes armatos, qui tanquam mulieres ibi saltarent; itaque Megarenses, cum feminas oppressuri advecti essent, ab Atheniensibus muliebri veste tectis interfectos, deinde Salaminem insulam defensoribus nudatam facile expugnatam esse. jam vero haec prior Plutarchi narratio quanti sit facienda si quaeritur: ea probabilis non est non modo ob eam causam, quod uno velut ictu id bellum transactum esse dicitur, de quo antea Athenienses desperaverant, sed etiam quia Pisistratus una cum Solone rem gessisse narratur, falsa admodum judicanda est. neque enim fieri potuit, ut Pisistratus, quippe qui anno 527. a. C. n. senex mortuus (Thuc. 6, 54.) anno fere 600. natus sit, eo tempore, quo insula expugnata esse et traditur et putatur, ante leges a Solone latas (a. 594. sqq.) expeditionis ullius particeps esset**). non ille igitur ante leges latas aut in bello Salaminio gerendo ducem aut in perferendo auctorem Solonem adjuvare potuit. accedit vero ut nemo praeter Plutarchum Solonem rei Coliadensi interfuisse tradidit nisi Polyaenus (1, 20, 1.). qui quidem, cum ceteris in rebus eadem ac Plutarchus referat, nescio quem Plutarchi vel Hermippi auctorem secutus Solonem solum illum dolum commolitum esse nisi propter temporum rationem narrasse non videtur. quae cum ita sint, permulti alteram relationem a Plutarcho eis, quae postea Athenienses facere solebant,

---

*) hanc fuisse alterius narrationis vetustiorem formam apparet cum e versibus illis subditis: αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον κτλ. tum e Plutarcheis verbis: ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθον. apud Diogenem eam paulo immutatam invenimus, cum scripserit: ἀνέγνω διὰ τοῦ κήρυκος κτλ., quibus Bernhardy (grundr. d. griech. lit. edit. 3. II. p. 514 et 469.) haud recte usus est.

**) Voemelius (exerc. chronol. de aetate Solonis et Croesi p. 19.) praeter Pisistratum tyrannum et anni 669. archontem alium tertium ejusdem nominis posuit, quod minime probari potest. — cf. quae Grotius dixit l. c. II. p. 72.

probatam (ἔοικε δὲ τῷ λόγῳ τούτῳ καὶ τὰ δρώμενα μαρτυρεῖν. ναῦς γάρ τις Ἀττικὴ προσέπλει σιωπῇ τὸ πρῶτον, εἶτα κραυγῇ καὶ ἀλαλαγμῷ προσφερομένων εἷς ἀνὴρ ἔνοπλος ἐξαλλόμενος μετὰ βοῆς ἔθει πρὸς ἄκρον τὸ Σκιράδιον . . . . ἐκ γῆς προσφερομένοις. πλησίον δὲ τοῦ Ἐνυαλίου τὸ ἱερόν ἐστιν ἱδρυσαμένου Σόλωνος. Plut. Sol. 9.) veriorem judicaverunt. hac enim altera narratur Solo solus belli dux, cum oraculi Delphici jussu heroibus Salaminiis sacra fecisset, unam navem quingentis voluntariis complevisse, qui clam ad insulam appulsi navem Megarensem exploratum missam oppressissent. quam eandam Atheniensibus completam cum ad urbem in insula sitam misisset, ipsum cum peditibus ab altera insulae parte Megarenses aggressum esse. itaque factum dicitur, ut cum Megarenses contra Solonem pugnam ingressi essent, Athenienses quingenti urbem insulae caperent. haec quidem cum per se verisimiliora sunt, tum sane ea, quam Athenienses observasse dicuntur, consuetudine confirmantur. tamen quod et Plutarchus Solonem a Pisistrato cum popularium animos incitantem tum hostes vincentem adjutum esse narrat et alii auctores a Pisistrato solo bellum aliquod contra Megarenses gestum esse referunt, id omnino neglegi non potest. itaque quae tradita essent explicari non posse nonnulli judicaverunt, nisi ita ut Salaminem insulam a Solone impetu improviso atque inopinato expugnatam postea ab Atheniensibus amissam a Pisistrato iterum captam esse censeremus. qua ratione a Bulwerio (Athens p. 138.) proposita, a Dunckerio (gesch. des altert. IV. p. 167. ann. et p. 295. sqq. cf. O. Mueller, Dor. I. p. 178. Curtius l. c. I. p. 648. ann. 137.) approbata nuper Prinzius (l. c. p. 6. sq.) et Bohrenius (philol. v. XXX. p. 187.) difficultates, quae exstarent, tolli posse demonstrare studuerunt. contra Thirlwallius (gesch. Griechenl. übers. von Schmitz II. p. 26.) et hanc eorum, qui duas expeditiones factas esse opinarentur, rationem criticae, qua nunc uteremur, arti aptam esse negavit et Solonis contra Salaminem expeditionem posteriore quam quo vulgo putaretur tempore factam esse censuit.

Hae tam contrariae sententiae de ea, qua de agimus, re his annis in medium prolatae sunt. ac quoniam qui postremi de ea disputaverunt, duas Salaminis insulae expugnationes, alteram Solone alteram Pisistrato duce factam, a rerum scriptoribus confusas esse judicaverunt, hanc prius tractare haud ineptum videtur esse. qua in re — id quod recte quidem Thirlwallius monuit — a via ac ratione nunc probata discedere eos, qui difficultatis tollendae causa eandem rem bis factam esse censeant, neque aliud facere quam eos, qui ob eandem videlicet causam duos ejusdem nominis viros fuisse ponant, praeteriens hoc loco commemoro. quae autem argumenta omnino ex eis, quae sunt tradita, ab istis allata sunt, ea deinceps recenseamus necesse est. namque si forte nullum, quod eo perducat, indicium in libris exstare apparuerit, non dubito quin nemo istorum viam repudiandam esse non confiteatur.

Atque unam rem ad sententiam suam confirmandam permultum valere isti arbitrati sunt. Plutarchus enim in Sol. c. 12., postquam scelus quod dicitur Cyloneum pluribus exposuit, ita scripsit: ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς καὶ Μεγαρέων συνεπιθεμένων ἀπέβαλόν τε Νίσαιαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Σαλαμῖνος ἐξέπεσον αὖθις. quae verba sic interpretati sunt: dum haec geruntur, Athenienses Nisaeam et Salaminem iterum amiserunt. atenim haec explicatio minime ferri potest. nam verba, quae sunt ταύταις ταῖς ταραχαῖς, non pertinent ad eam solam quae antecedit sententiam, ut ταραχαί sint judicii institutio et Myronis accusatio, quippe quibus rebus ipsis turbas magna certe ex parte sedatas esse Plutarchus affirmaverit: referenda ea potius sunt ad totam quae antecedit narrationem, ut scelere Cyloneo quae ortae erant turbae dicantur ταραχαί. an priusquam illa re tranquillitas quaedam civitati recuperata esset, Salaminem ab Atheniensibus primum expugnatam esse judicas? immo turbis ex scelere Cyloneo ortis factum erat, ut insula a Megarensibus occuparetur. itaque illa de quibus agitur verba, si id, quod isti volunt, eis contineretur, ita vertenda aut adumbranda erant: intra illud tempus, quod intercessit ab acropoli a Cylone occupata ad Alcmaeonidas a Myrone accusatos (ταύταις ταῖς ταραχαῖς), Athenienses Nisaeam et Salaminem bis (αὖθις) amiserunt. quod recte se habere ne quis dicat non metuo. quid enim? permirum neque esset, si Plutarchus, cum Lacedaemoniis arbitris pacem factam esse in c. 10. narrasset, in c. 12. insulam iterum amissam esse dixisset, quoniam hac pace bellum in omne tempus transactum esse et Plutarcho persuasum est neque quisquam his diebus negabit. quid, quod antea pugnas de insula ortas copiose narrans eam expugnatam iterum amissam esse ne uno quidem

verbo commemoravit? verumenimvero hac re aut scriptorum aut scribentis perturbatio indicaretur tanta, ut eis ullam fidem habere prohibitus esse mihi viderer. si quis igitur illis verbis ita nitatur, ut opinionis commentum aliquod ab arte critica vel maxime alienum comprobare velit, is meherele sperare non potest fore ut se alii sequantur.

Quae cum ita sint, aliam vocabuli αὖθις explicandi rationem olim Plassius (die griech. tyran. I. p. 183. ann. 5.) secutus est. is enim vocabulum αὖθις ad ipsam tantummodo auctoris orationem spectare putavit et Plutarchum, quippe qui in vitis describendis non semper temporum ordinem servaverit, nihil ea voce addita significare voluisse nisi de insula expugnata jam antea mentionem se fecisse moneret. quae sententia quamquam nec Prinzio aut Bohrenio nec mihi placet, cum nullum quo probetur exemplum afferri possit, tamen recte Plassius cognovisse mihi videtur, vocabulo αὖθις hoc loco non singularem quandam rem significari, sed Plutarchei generis dicendi quiddam proprium contineri. namque Plutarchus illa particula praeter necessitatem abundanti usus est eodem modo, quo a Romanis haud ita raro „rursus" (tridui viam progressi rursus reverterunt. Caes. b. g. 4, 4. cf. ib. 6, 3. b. c. 3, 93. etc.), a nostris saepissime „wieder" orationi addi solet, ut oppositio quaedam inter duas, quae narrantur, actiones earumque vicissitudo magis eluceat. quod verum esse ut intellegatur, Plutarchi nonnullos, quorum numerus facile augeri potest, exscripsi locos et quidem ita comparatos ut αὖθις particula verbo postposita sit. ὅτι (sc. ἡ γαστήρ) τὴν τροφὴν ὑπολαμβάνει μὲν εἰς ἑαυτὴν ἅπασαν, ἀναπέμπει δ'αὖθις ἐξ αὐτῆς. Coriol. 6. ἐκείνοις συνέτυχε τότε παρ' οὐδὲν ἐλθόντας ἀπολέσθαι διαφυγεῖν αὖθις ἀπροσδοκήτους τόν κίνδυνον. Camil. 8. ὁ διδάσκαλος . . . . ἐξῆγεν αὐτοὺς ἡμέρας ἑκάστης ὑπὸ τὸ τεῖχος ἐγγὺς τὸ πρῶτον, εἶτ' ἀπῆγεν αὖθις εἴσω γυμνασαμένους. ib. 10. ἐξέπεσον αὖθις οἱ πολλοὶ τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας, quae pertinent ad ea quae antecedunt: ἐδυσωποῦντο τὴν ἀρετήν καὶ λόγον ἀλλήλοις ἐδίδοσαν ὡς ἐκεῖνον ἀποδείξοντες. Coriol. 15. praeterea conferas velim quae Hertleinius disseruit (zur literatur des Xenoph.) in annal. phil. Fleckeisen. a. 1867. vol. 95. p. 475. quod cum ita sit, non dubito, quin etiam eo quo de agitur loco vocabulum αὖθις ita interpretandum sit, ut nihil aliud significetur nisi Athenienses et Salaminem et Nisaeam, cum in dicionem suam aliquando redegissent, eo tempore, quo ex scelere Cyloneo civitas turbata esset, rursus amisisse. ac tantum abest, ut altera insulae amissio priori opponatur, ut notio amittendi, quae inest in vocabulis ἀπέβαλον et ἐξέπεσον, obstet notioni possidendi vel occupandi, quae etiamsi non ipso verbo addita tamen legentium animis cogitatur. ergo bis Salaminem insulam ab Atheniensibus vi et armis recuperatam esse hoc loco non demonstratur.

Satis mihi multa verba fecisse videor de ea ut ita dicam vocula, qua ad probandam sententiam suam non pauci falso usi sunt: restat de universo loco ut pauca addam. ac primum quidem si verba ταύταις ταῖς ταραχαῖς ad ea quae dixi recte referuntur, Plutarchus et is quem secutus est Salaminem insulam ante bellum Solone auctore ortum aliquamdiu in Atheniensium dicione ac potestate fuisse sunt opinati. quod quidem recte num fecerint, infra quaeretur: sed ad eam in qua versamur quaestionem magis pertinet, quod Nisaeam Salamini adjunxerunt, ut Nisaea non minus quam Salamis Atheniensium aliquamdiu ante idem bellum fuisse dicatur. quod factum esse cum cogitari omnino nequeat, quoniam ipsorum emporio ab Atheniensibus occupato bello de possessione insulae gerendo desistere Megarenses coactos esse apparet, hac re quid de omnibus his verbis judicandum sit satis indicari putaverim. tantum enim abest, ut illa quidem, quae Cyloneae narrationi quasi aliena interposita sunt, derivata sint ex integro quodam antiquarum rerum fonte, ut ex Hermippi mente orta sint, quem tam sagacem scriptorem quam plurima posset ratiocinatione quadam excogitare iisque res traditas exornare studuisse harum quaestionum part. I. iterum ac saepius argumentis mihi videor probasse. is Salaminem, cum res et Atheniensium eo quod dicitur Cyloneo scelere turbarentur et Megarensium Theagene tyranno florerent, ab his occupatam esse — nescio an recte — et ratiocinatione conjecit et dignum putavit, quod prius omissum Cylonearum rerum narrationi insereret.

Alter vero locus, quo ei quibus repugno opinionem suam confirmari arbitrati sunt, est Justini 2, 8., a quo Prinzius (l. c. p. 16.), id quod jam antea Dunckerus (l. c. IV. p. 167. ann.) cognovisse sibi visus erat, distincte ac perspicue duas insulae expugnationes discerni judicavit. sed ne hoc quidem jure. Justinus enim in c. 7. Solonem insaniam simulantem carmine recitato effecisse narrat, ut

Atheniensis bello contra Megarenses renovato insulam Salaminem expugnarent. et haec sunt ultima capitis 7. verba: „omniumque animos ita cepit, ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur insulaque devictis hostibus Atheniensium fieret." deinde in c. 8. ita pergit: „interea Megarenses, memores illati Atheniensibus belli et deserti (veriti al.), ne frustra arma movisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris nocta oppressuri, naves conscendunt. qua re cognita dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidiis locat" etc., et sequitur narratio ejusdem doli, quem Plutarchus Hermippum secutus Solonem una cum Pisistrato ad Coliadem commolitum esse narrat. primum igitur tantum abest, ut insulam Solone duce expugnatam esse ille dicat, ut bello Solone quidem auctore renovato Atheniensium eam omnino factam esse narret. deinde quod particula „interea" ea, quae de Pisistrati dolo sequuntur, eis annexa sunt, quae de Solone belli auctore antecedunt, hoc vocabulum idem esse ac „postea" i. e. „alio bello exorto" jure dici minime potest. immo vero siquidem id in narratione scriptoris admodum neglegentis multum valere eique magnam vim tribuendam esse censueris, „interea" ad ea ipsa quae proxima sunt commemorata recte refertur, ut id tempus significetur, quod inter carmen recitatum et insulam expugnatam intercessit. medio igitur bello si ea quae narrantur accidisse particula „interea" affirmari tibi persuaseris, illa quae exscripsi bene congruunt cum hisce exstremae narrationis verbis: „Pisistratus paulum a capienda urbe afuit", quibus bellum illo dolo confectum esse haud dubie negatur. deinde verbis, quae sunt „ne frustra arma movisse viderentur", satis demonstratur, capite 8. de eodem bello, quo in exstremo capite 7., non de alio agi. namque mulieribus captis fieri poterat, ut bellum, quod gerebant, non frustra gererent; fieri non poterat, ut bellum, quod frustra gesserant, perfectum in aliud mutarent. nihil igitur restat, quod ab istis sit, quibus repugno, nisi verba „memores illati Atheniensibus belli et deserti", quibus si — id quod minime licet —, neglecta „interea", particula „quondam" addatur, forsitan in istorum sententiam interpreteris. atque miror, quod isti bellum Atheniensibus (sc. a Megarensibus) illatum et desertum intellegunt id, ad quod Megarensibus inferendum Solonem cives incitasse et quod Solonem ducem Megarensibus devictis confecisse ipsi statuunt. quid, quod Megarenses memores belli prioris alterum bellum non indictum eo conflasse dicuntur, quod mulieres Athenienses noctu opprimere conabantur? itaque haec verba, si modo aliquid veri in eis inest, intellegi non possunt nisi ita: Megarenses cum a bello cum Atheniensibus de Salamine orto aliquando nimium relaxavissent, se in hostium fines non sine aliquo commodo suo antea ingressos esse recordati (v. p. 12.) denuo bellum acrius gerendum in Atticam transferre constituerunt. quae cum ita sint, quod Justinus Pisistratum bello Megarensi rem quandam gessisse refert, dignum illud quidem judico, quod paulo infra recenseatur; sed tamen nunc satis habeo docuisse, ne apud Justinum quidem, nisi quis verbis traditis quasi vim fecerit, duplicis Salaminis insulae expugnationis indicium inveniri.

Alia igitur suae opinionis testimonia quoniam isti afferre non potuerunt, in eis, quae tradita sunt, nihil exstat, quo insulam bis captam esse ut putemus impellamur. immo quicunque scriptores de hac re egerunt, unam omnes expugnationem insulae fuisse rettulerunt. quam ob rem ipsi illa, quam et supra laudavimus et semper servandam esse profitemur, historiae via ac ratione usi duabus non sumptis difficultates, quae supersint, tollere studeamus necesse est. quod ut fiat, jam quaeritur, num re vera in eis, quae tradita sunt, quidquam causae et momenti insit, cur adducamur, ut Solonem et Pisistratum una ac conjunctis quasi viribus insulam expugnasse arbitremur. nam si forte contra apparuerit, unum tantum sive Solonem sive Pisistratum ab eis auctoribus, quibus certa fides habenda sit, belli de Salamine contra Megarenses ducem fuisse tradi: nihil sane supererit, quo quis, ut duas expugnationes factas esse statuat, omnino commoveatur.

Atque hanc quaestionem instituturi ab eadem re proficiscamur, de qua modo disseruimus et quam praeter Justinum etiam Aeneas Tacticus (4.) Frontinus (4, 7, 44.) Plutarchus (Sol. 8.) Polyaenus (1, 20, 1.) exhibent, cum referunt Megarenses, mulieres Atticas sacra facientes oppressuros, insidiis collocatis ab Atheniensibus deletos esse. quod quidem cum Justinus aliique Eleusine factum esse narrent, in errorem inciderunt, quia feminarum sacra, de quibus agitur, non Eleusine, sed Halimunte ad Coliadem fieri solita esse Plutarchus et Polyaenus recte docent (Hermann, lehrb. d. griech. antiq. II. § 56. n. 20.

(p. 387. ed. II.) Mommsen, heortol. p. 300. n.). praeterea inter eos quos dixi auctores, qui plurima praebent, Justinus et Plutarchus, ut quo duce rem gestam esse dicant nunc quidem praetermittam, eo inter se discrepant, quod hic Athenienses consilii fallacis auctores fuisse dicit, cum ipsi Megarenses ad feminas opprimendas transfuga misso pellexissent, ille Megarenses ultro feminas opprimere conatos esse narrat, qua de re certiores facti Athenienses eos antevenissent. apud Plutarchum igitur ea, quae Justinus tradidit, aucta esse videmus addita causa qua Megarenses, ut rem agerent, nescio cui auctori commoti esse videbantur. atque is causam addidit eo nimirum consilio, ut Atheniensium eorumque ducis, quippe qui rem prudenter et excogitasset et effecisset, gloriam augeret. itaque si quidem omnibus quos attuli locis eandem rem narrari apparet, inter ea quae diverse feruntur simpliciorem Justini narrationem pleniori Plutarcheae praeferre non dubitabimus, praesertim cum ea quae Justinus refert ex antiquiore libro repetita esse, quam ea quae Plutarchus auctore Hermippo narrat, ob aliam quoquē causam verisimile sit. quae Justinus enim, quem totum ad Trogi auctoritatem se contulisse constat, memoriae prodidit, ea ex Ephori libris derivata esse putantur (v. Wolffgarten, de Ephori et Dinonis historiis a Trogo Pompejo expressis. Bonnae. 1868.), quod quidem apte cum eis congruit, quae de ratione, quae inter Hermippum et Ephorum intercedere videatur, in part. I. p. 27. sqq. ipse disserui. Hermippi igitur opera factum est, ut Megarenses, quod antea sua sponte gessisse narrabantur, ad id ab Atheniensibus certo consilio incitati esse dicerentur. denique vero, ut ad rem institutam redeamus, in hac ipsa pleniore Hermippi narratione Solonem et Pisistratum una et doli auctores et belli duces fuisse dicitur, cum in simpliciore illa et antiquiore, quae ab Ephoro orta apud Justinum exstat, Pisistratum solum et bello praefuisse nec dolo non usum esse narretur (ac protinus classe captiva intermixtis mulieribus, ut speciem captarum matronarum praeberent, Megara contendit. Just. 2, 8.). quae cum ita sint, dubitari nequit, quin Hermippus aut ea ratione, quam propriam ei fuisse in priore specimine docui, narrationem, qua Solo, cum altera, qua Pisistratus dux fuisse dicebatur, in unum conjunxerit, aut nulla re nisi Solonis gloriae augendae studio commotus nullo auctore ei narrationi, qua Pisistratus celebrabatur, illius nomen inseruerit. rem igitur Coliadensem, si antiqua sequimur, neque ad Solonem pertinere nobis judicandum est et a Pisistrato gestam esse ab eis, quibus major est habenda fides, auctoribus affirmatur. ceterum quo Plutarchi narrationem probabilitate carere supra dixi, id ipsum in Justini libro non invenitur. nam is Pisistratum re Coliadensi gesta statim urbem, sive Nisaeam dicit sive Megara, expugnasse eoque bellum confecisse verbis, quae sunt „paulum a capienda urbe afuit", aperte negat.

Altera Plutarchi narratio verbis ἄλλοι δέ φασιν allata, qua Solo insulam solus expugnasse traditur, apud alium rerum scriptorem non invenitur. nullius igitur auctoritate, ut fidem illi habeamus, adducimur nisi Hermippi, qui quidem eam verisimiliorem dicit eisque, quae τὰ δρώμενα appellantur, comprobare studuit. atque si ipsam narrationem paulo accuratius perpenderimus, suspicionem gravissimam auctor vel eo nobis movet, quod ab oraculo Delphico in ea proficiscitur. inde enim cum fabulam ab eo praeberi appareat ad sapientes, qui proprie dicuntur, pertinentem, nisi certissimis argumentis probata erit, eam veram judicare non licet. quamquam non est, cur τὰ δρώμενα vera esse negemus. est sane credibile et ea, quae Plutarchus narrat, Athenienses observasse et templum, quod a Solone consecratum esse dicebatur, in insula exstitisse. nihilo tamen setius, num ad ipsius Solonis tempora recte referantur, cum etiam statua ejus post annum 400. a. C. n. in insula posita ipso vivo collocata esse putaretur (Demosth. 19, 251.), dubitandum est. atque multo magis dubium mihi esse videtur id, quod Hermippus illis rebus comprobare studuit vel potius confingere ex eis conatus est. namque ut erat non tam plane comminiscendi quam acriter componendi studiosissimus, nisi eis quae dixi nullo argumento usus est ille ad fingendam eam narratiunculam, qua Solonem et magnum in artibus pacis nec minorem virtute bellica fuisse demonstraretur. itaque Solonis nomen in hac quoque narratione quaerentibus historiae veritatem nobis neglegendum atque omittendum est, quo quidem facto eandem ipsa habet vim, quam quae prior a Plutarcho proposita est. utrique enim, cum una clade Megarenses devictos non putem, subesse arbitror aliquid, quod re vera bello haud ita brevi levique acciderit. ergo in altera recte narratur, Pisistratum aliquando belli

contra Megarenses gesti ducem fuisse hostesque arte usum oppressisse; in altera alio ejusdem belli tempore Atheniensibus ad meridianam insulae regionem (Wachsmuth. Athen. I. p. 443. n. 2.) prope a Sciradio promontorio appulsis Megarenses occupatos cladem accepisse.

Neque vero uno proelio debellatum esse demonstratur etiam tertio quodam, quod ab Herodoto memoriae proditum addere nunc liceat, ut quaecumque singula de bello Salaminio tradita sunt uno jam ordine congeram. Herodotus enim (1, 30.) Tellum Atheniensem, quem Solo beatum praedicasse dicitur, cecidisse proelio ad Eleusinem commisso contra vicinos (ἀστυγείτονας), quos Megarenses fuisse alii satis docuerunt (Schömann, Verfassungsgesch. Athens p. 16. Müller, Dorier I. p. 177. ann. 1.). qua de re quamquam ipse perlegas velim, quae Bohrenius disseruit (l. c. p. 190. sq.), tamen etiam hoc loco unum quod suo jure dixit non omiserim: e verbis Herodoti, quae sunt πόλιος εὖ ἡκούσης, illam rem post leges a Solone institutas factam esse apparere. accuratiorem quidem temporis quo acciderit descriptionem spero fore ut in extrema hac dissertatione ipse in medium proferam.

Deinde quartum aliquod, quod ad bellum illud pertinet, Pausanias (1, 40, 5.) tradidit, cum dicit: ἐνταῦθα τῷ ναῷ τριήρους ἀνάκειται χαλκοῦν ἔμβολον. ταύτην τὴν ναῦν λαβεῖν φασι περὶ Σαλαμῖνος ναυμαχήσαντες πρὸς Ἀθηναίους. in Olympieo igitur Megarensi Pausaniae aetate navis Atticae rostrum ostentabatur, quam bello Salaminio pugna navali captam esse Megarenses perhibebant, unde iterum, ut plura non dicam, bellum haud ita leve breveque fuisse elucet.

Quinto denique loco affero, quae scripta videmus apud Herodotum (1, 59.): πρότερον (sc. priusquam tyrannus exstitit Pisistratus) εὐδοκιμήσας ἐν τῇ πρὸς Μεγαρέας γενομένῃ στρατηγίῃ, Νίσαιάν τε ἑλὼν καὶ ἄλλα ἀποδεξάμενος μεγάλα ἔργα. quae verba, cum ab auctore gravissimo orta omnium, quae de bello Salaminis insulae causa gesto tradita sunt, primum fere locum obtineant, ad eam quam instituimus quaestionem plurimum valent dignaque sane sunt, quae accuratissime considerentur. primum igitur Herodotus Solonem bello interfuisse neque hoc loco neque usquam commemorat. deinde Pisistratum belli Megarensis summam obtinuisse et rebus bene gestis magnam sibi gloriam peperisse aperte ac dilucide narrat. praeter alias autem res Nisaeam, Megarensium emporium, eum cepisse affirmat, quod unum omnium praeclarissimum arbitratur ita, ut Salaminem ipsam ejus opera Atheniensium factam esse non addiderit. quod si quis miretur, id quod supra dixi, Megarenses ipsorum emporio occupato bello desistere sine dubio coactos esse monuerim. jam igitur Salamis ipsa cum aliis rebus praeclare gestis tum illis fortasse victoriis, de quibus aliquid veri, quantulum idcumque est, in duabus quas tractavimus Plutarchi narrationibus inhaerescit, ab Atheniensibus occupata erat: cum hostium emporio a Pisistrato expugnato bellum acerbissimum ac gravissimum confectum est, cujus rei memoriam quandam etiam Hermippi verba a Plutarcho in Sol. c. 12. tradita, de quibus egi p. 8. sq., obscuratam quidem indicant.

Quoniam igitur omnes deinceps res et contuli et tractavi, ex eis locis, quibus singulae, quae ad bellum Salaminium pertinent, res narrantur, Solonem belli summae ipsum praefuisse non apparere fore ut concedatur spero. contra Pisistrato duce totum bellum gestum esse his sane locis, qui quidem ob id ipsum magni sunt momenti, quod ad singula pertinent, vel maxime probari videtur. itaque cum quaerendum jam sit, num eis locis, quibus de Salamine insula expugnata in universum disseritur, contrariae sententiae argumenta exstent, duos inveni, quos quis forsitan ita interpretetur. nam et Valerius Maximus (5, 3, ext. 3.) haec prodidit: „jam Solon . . . . qui Salaminem velut hostilem aram ex propinquo saluti eorum imminentem recuperavit“, et Demosthenes (61, 60.): Σόλωνα . . . . ὃς οὐκ ἀπεληλαμένος τῶν ἄλλων τιμῶν, ἀλλὰ τῆς μὲν ἀνδρείας τὸ πρὸς Μεγαρέας τρόπαιον ὑπόμνημα καταλιπὼν τῆς δ᾽ εὐβουλίας τὴν Σαλαμῖνος κομιδήν. atenim his ipsis locis nos doceri putaverim, quomodo omnino factum sit, ut belli auctor idem belli dux fuisse diceretur. Solo enim, qui elegia composita ut bellum renovaretur effecerat, cum res bene successisset, idem is erat, cujus opera et auctoritate insula in dicionem Atheniensium esset redacta. quam ob rem, etiamsi bello ipsi non interfuerit, tamen „insulam recuperasse“, prout verba intellegebantur, et recte et falso dici poterat. quod cum ita esset, Athenienses ei, ut gratiam referrent, in insula Salamine statuam posuerunt, qua illius rei memoria posteritati propagaretur. quo facto praesertim cum et Solonis propter legum scriptarum praestantiam gloria

magis magisque amplificaretur et Pisistrati tyranni, quem de re publica bene meritum esse nemo antiquus nisi Thucydides et Aristoteles satis perspexit, plus aequo imminueretur, nihil facilius potuit fieri, quam ut rerum a Pisistrato gestarum obliti Solonem ipsum belli ducem insulam expugnasse et Athenienses dictitarent et scriptores referrent. illis igitur auctoribus, quorum in verbis utrum Solo belli dux an auctor belli significetur etiam dubitari potest, jam sufficit opponere eos, qui Solonem ducem non fuisse eo probare videntur, quod quamquam eum elegia composita cives ad bellum renovandum commovisse narrant, tamen eum summae praefuisse non commemorant. quo ex numero neminem jam affero nisi Pausaniam, qui eo quam supra attuli loco (I. 40, 5.) ita pergit: ὁμολογοῦσι δὲ καὶ Ἀθηναῖοι χρόνον τινὰ Μεγαρεῦσιν ἀποστῆναι τῆς νήσου, Σόλωνα δὲ ὕστερόν φασιν ἐλεγεῖα ποιήσαντα προτρέψαι σφᾶς, καταστῆναι δὲ ἐπὶ τούτοις ἐς ἀμφισβήτησιν Ἀθηναίοι, κρατήσαντες δὲ πολέμῳ Σαλαμῖνα αὖθις ἔχειν. quibus verbis sive quae Athenis comperta ipsa meminerat Pausanias refert sive — id quod verisimilius judico — quae ut cetera Megaris narrata auditione acceperat: exstitisse ex eis famam apparere videtur, qua nihil aliud Solonem fecisse nisi cives ad bellum incitasse tradebatur. Megarenses autem narrasse Pisistratum Atheniensium bello Salaminio ducem fuisse etiam magis ex eis apparet, quae apud Strabonem (9. p. 394.) scripta legimus de diversitate inter memoriam Atheniensium et Megarensium intercedenti. versu enim subdito hos dixisse a Pisistrato, illos a Solone Homerum apud Lacedaemonios judices testem adhibitum esse Strabo narrat. quod quomodo factum sit, cum re vera illud Soloni tribuendum esse aliorum testimoniis atque auctoritate constet, intellegi nequit, nisi totum bellum a Pisistrato administratum esse Megarensium memoria ita proditum fuisse cogitatur, ut etiam quae in pace apud Lacedaemonios agenda Solo fecisse recte quidem dicebatur, belli duci Pisistrato addicerent, cum Athenienses ea quae ipso bello gesserat odiosissimus ille tyrannus **clarissimo legumlatori tribuerent.**

Accedit vero quod Solonem bellum administravisse unus auctor ipsis verbis negavit. Plutarchus enim scripsit in comp. Sol. et Popl. 4: τῶν μέντοι πολιτικῶν (sc. τῶν τοῦ Σόλωνος) οὐδὲ τὰ πρὸς Μεγαρεῖς Δαΐμαχος ὁ Πλαταιεὺς μεμαρτύρηκεν, ὥσπερ ἡμεῖς διεληλύθαμεν. quae verba cum plurimi Daimachi veritati diffisi temere neglexissent, nuper paulo artificiosius explicavit Prinzius, quippe qui eis contineri Daimachum res a Solone bello Megarensi gestas non commemoravisse judicaverit. atenim Plutarchus si id voluisset, profecto permultos scriptores, in quos idem caderet, afferre potuit. neque vero hac re sententiam, quam sequebatur, probare poterat: Solonem virtute Poplicola inferiorem fuisse. an aequum esse censebat, si qua res a scriptore quodam memoriae non esset prodita, eam factam omnino non esse putari? immo hoc ferri nequit. quod ipse sentiens, etiamsi alterum illud, ex quo Daimachus Solonem bello interfuisse negaverit, insit in eis verbis, de quibus agitur, tamen huic rei nihil tribuendum esse judicat, quia „Daimachi fides etiam alias minima fuerit (Strabo II. p. 70.)“. sed ne hanc quidem sententiam, quamquam Bohrenius (l. c. p. 189. ann. 21.) ei assensus est, equidem probaverim. jure sane fidem habere tali auctori, qualis Daimachus fuisse dicitur, dubitaveris in eis rebus, quae ab aliis rerum scriptoribus non commemoratae nec per se verisimiles ab eo solo narrentur. sed si rem aliquam, quam alii tradiderant, ipse negavit, hoc non sine certa causa fecisse mihi videtur. et Daimachus, cum de ea re agatur, quam propter temporum longinquitatem sine ira et studio auctor Athenis non ortus narrasse utique cogitandus est, cur Solonem bello interfuisse negaverit, non aliam causam reperiri posse video nisi quod ab aliquo auctore id negari ipse invenerat. exstabant igitur inter rerum scriptores, qui belli gloriam Solonem sibi peperisse negarent. quodsi haud ita raro ad hominem illustriorem ab homine minus praeclaro aliquam rem bene gestam translatam esse meminerimus, dignam quae probetur perscrutandi viam ac rationem secuti, quod re vera a Pisistrato tyranno et Atheniensibus semper inviso et a rerum scriptoribus minime laudato praeclare gestum erat, id falsa memoria Soloni legumlatori sapientissimo et omnibus temporibus vel maxime celebrato attributum esse arbitrari non dubitabimus. Solonem igitur ut primi belli sacri (v. spec. I. p. 12.) ita belli, quo Salamis expugnata est, Megarensis, cum vere utriusque auctor fuisset, a scriptoribus, qui ejus gloriam aucturi magnum domi nec minorem in bellis eum fuisse videri volebant, falso ducem factum esse judicandum est.

Itaque ut paucis quae disputavi comprehendam: Solo carmine, quod composuerat, publice recitato effecit, ut bellum contra Megarenses Salaminis insulae expugnandae causa renovaretur. ipse autem bello, quod haud ita brevi tempore confectum est, neque praefuit neque interfuit, sed Pisistratus re optime gesta et Nisaea capta ad finem perduxit. quae cum ita sint, restat ut quo tempore insula expugnata sit, quantum fieri potest, describere conemur.

Atque in hac re apte a verbis Plutarcheis ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς καὶ Μεγαρέων συνεπιθεμένων . . . . . . Σαλαμῖνος ἐξέπεσον (Sol. 12.) proficiscemur, quae quamquam ratiocinatione quadam inventa esse supra dixi, tamen dubitari vix potest, quin auctor Salaminem in Megarensium dicionem venisse paulo postquam arx Atheniensium a Cylone occupata esset recte affirmet. alteram enim occupationem cum altera ita cohaesisse verisimile est, ut Theagenes, Megarensium tyrannus, generum suum Salamine insula occupata aut adjuvare aut ulcisci studeret. quod ipsum eo tempore factum est, quo Atheniensium vires maxime debilitatae jacebant, quoniam civitas partium certaminibus discors Epimenidis demum expiatione (a. 596. a. C. n.) et Solonis legibus in meliorem condicionem est redacta. contra Megarensium res per idem tempus maxime florebant. Theagenes enim a. 621. a. C. n. tyrannidem instituerat, qua non ante a. 590. sublata initio optimates rem publicam non minus feliciter moderabantur. neque igitur eo tempore Salaminem ab Atheniensibus expugnatam esse verisimile est. contra eo ipso tempore multis cladibus acceptis ab eis legem perlatam esse putaverim, qua omnes, ut bellum insulae expugnandae causa denuo gereretur, ad populum ferre vetarentur. quo facto cum bello intermisso res publica Solone auctore bene esset composita, eorum juventus interea sensim recreata et aucta est (τῶν νέων ὁρῶν πολλοὺς δεομένους ἀρχῆς ἐπὶ τὸν πόλεμον. Plut. Sol. 8.). tum demum lege illa sublata bellum renovatum est, quod quo ipso anno factum sit accurate quidem definiri nequit. neque enim aliud quidquam habemus, quo utamur, nisi ea, quae de Pisistrati vita tradita sunt. ac si recte Plutarchus a Pisistrato Solonem, cum cives ut bellum denuo inirent commovere studeret, adjutum esse dicit (μάλιστα δὲ τοῦ Πεισιστράτου τοῖς πολίταις ἐγκελευομένου καὶ παρορμῶντος πεισθῆναι τῷ λέγοντι sc. Σόλωνι. Sol. 8.), bellum ante a. 580. a. C. n. renovatum esse sumi vix potest, quippe quo anno Pisistratus viginti fere demum annorum fuerit. neque dubie ante illum annum non est debellatum, quoniam Pisistrato duce Nisaea capta est (Herod. 1, 59.). nescio vero an finis belli, cum eo tempore, quo rerum potitus est, bellicae Pisistrati gloriae recentem memoriam fuisse cum ex ipsa re tum ex Herodoti verbis apparere videatur, ab tyrannide occupata etiam multo propius afuerit. tunc vero Atheniensium vires recreatas esse jam dixi et pax inter eos concordiaque a Solone aliquantum reconciliatae erant. Megarensium contra opes corruerant, cum civitate in duas partes divisa acerrimum optimatium et plebis certamen exarsisset. res igitur Megarensium et Atheniensium eo tempore, quo Salamis ab his est expugnata, prorsus contrariae erant atque fuerant eo tempore, quo insula ab illis occupata erat. atque haec sententia — id quod paene admodum supervacaneum esse videtur — vel maxime confirmatur cum eo, quod Atheniensium πόλιος εὖ ἡκούσης Tellum bello Megarensi cecidisse apud Herodotum (1, 30.) scriptum legi jam dixi, tum alia re, quae eo, quem identidem attuli, Pausaniae loco (1, 40, 5.) narrata et a me adhuc praetermissa et sicut illa Daimachi verba, de quibus exposui, aequo temerius ab aliis neglecta est. Pausanias enim ibi narrandi finem ita facit: Μεγαρεῖς δὲ παρὰ σφῶν λέγουσιν ἄνδρας φυγάδας, οὓς Δορυκλείους ὀνομάζουσιν, ἀφικομένους προδοῦναι Σαλαμῖνα Ἀθηναίοις. quibus verbis etiamsi Bohrenius (l. c. p. 189.) nihil contineri nisi narrationem fictam, qua Megarenses excusarentur, recte dixerit, tamen aliquid veri, quod ejus ansam dederit, ei subesse pro certo statuendum est. itaque ea, ut minimum dicam, Megarenses ipsos se eo tempore Salamine expulsos et bello devictos esse putasse demonstratur, quo φυγάδες qui dicuntur exstarent. quod cum esset eo tempore, quo tyranno oppresso civitas in diversas partes discesserat, ea quae Megarensium memoria prodita sunt optime congruunt cum hac quam nos quidem ob alias causas statuimus sententia, ex qua Salamis post leges a Solone latas paulo ante occupatam a Pisistrato tyrannidem ab Atheniensibus expugnata est.

Megarenses igitur, ut unum quod restat addam, et Salamine expulsi et Nisaea privati, cum de victoria desperarent, ad Lacedaemoniorum consanguineorum arbitrium confugerunt, cui etiam Athenienses se subicere parati erant (Plut. Sol. 10. Diog. 1, 48. Ael. v. h. 4. 7, 19. schol. ad Demosth. 19, 251.

Strabo 9, p. 394.). nomina quidem et numerum arbitrorum, quae a Plutarcho referuntur, ficta esse ex eis, quae in part. I. p. 11 disserui, fore ut concedatur spero. sed cum Pisistratus bellum gessisset, Solo, quippe qui et summa auctoritate inter cives floreret et simili munere jam alio tempore bello sacro gesto bene functus esset, quin cum Lacedaemoniis de judicio egerit, non est quod dubitemus. causam igitur Solo Atheniensium cum diceret, miror quod inter ea, quibus insulam civibus suis vindicare studuisse fertur, Salaminem ante ipsum bellum Atheniensium fuisse non affirmasse. sed nihil aliud nisi quae aut ad fabulas aut ad mores pertinerent, afferens ad antiquissima tantum tempora respexisse dicitur. quae cum ita sint, dubito an Salamis insula ante Solonem unquam in Atheniensium dicione fuerit. immo cum Megarenses insulam, quae antea sui juris erat, Theagene tyranno occupassent, tum demum eam, quam qui obtinebant mare Saronicum utrisque maximi momenti tenebant, ipsis Atheniensibus dignam visam esse putaverim, ad quam expugnandam extrema belli persequerentur. nihilo tamen setius Solo ut, cum cives de victoria desperassent, belli renovandi acerrimus auctor ita, cum hostes devicissent, actor aptissimus belli componendi arbitros Lacedaemonios adduxit, ut Atheniensibus insulam decernerent atque addicerent. ita factum est, ut mare eis in perpetuum aperiretur.

# Ueber einige besondere sphärische und ebene Polygone.

Von Gymnasiallehrer **Dolega**.

## 1.

## Die excentrische Anomalie eines Punktes einer sphärischen Ellipse.

Fällt man von einem Punkte $P$ einer ebenen Ellipse (Fig. 1) auf die grosse Achse derselben eine Senkrechte, welche den über der grossen Achse als Durchmesser beschriebenen Kreis in einem Punkte $P''$ schneidet, und verbindet man $P''$ mit dem Mittelpunkte der Ellipse, so schliesst dieser Radiusvector mit der grossen Achse der Ellipse einen Winkel $\vartheta$ ein, welchen man bekanntlich die excentrische Anomalie des Punktes $P$ der Ellipse nennt. Man kann diese Definition von der Ebene auf die Kugel übertragen. Beschreibt man nämlich (Fig. 2) über der grossen Achse $AB$ einer sphärischen Ellipse einen kleinen Kugelkreis, legt man ferner durch einen Punkt $P$ der Ellipse einen Hauptkreis senkrecht zur grossen sphärischen Achse und nennt den Schnittpunkt dieses Hauptkreises mit dem kleinen Kreise $P'$, so schliesst der durch $P'$ und das sphärische Centrum der sphärischen Ellipse gelegte Hauptkreis mit der grossen sphärischen Achse einen Winkel $P'OB$ ein, welchen man die excentrische Anomalie des Punktes $P$ der sphärischen Ellipse nennen kann.

Man hat in der ebenen Geometrie den Satz (s. Fig. 1): Der Schnittpunkt der Senkrechten von einem Punkte $P$ einer Ellipse auf die grosse Achse mit dem über dieser Achse als Durchmesser beschriebenen Kreise ($P'$), der Schnittpunkt der Senkrechten von demselben Ellipsenpunkte auf die kleine Achse mit dem über der kleinen Achse beschriebenen Kreise ($P''$) und der Mittelpunkt der Ellipse ($O$) liegen in einer Geraden. Dieser Satz, welcher eine zweite Definition der excentrischen Anomalie eines Ellipsenpunktes zulässt, nämlich mittelst des Kreises über der kleinen Achse, kann sofort von der Ebene auf die Kugel übertragen werden. Denkt man sich nämlich eine Kugel, welche die Ebene im Mittelpunkte der Ellipse berührt, und projicirt man die Punkte, Geraden und Curven der ebenen Figur durch Verbindungsgerade mit dem Mittelpunkte der Kugel auf dieselbe, so ist die Projection der ebenen Ellipse eine sphärische Ellipse, die Projectionen der beiden Kreise über den Achsen der ebenen Ellipse sind kleine Kugelkreise über den Achsen der sphärischen Ellipse, die Projectionen der Senkrechten vom Ellipsenpunkte $P$ auf die Achsen der ebenen Ellipse sind Hauptkreise, die durch denselben Punkt der sphärischen Ellipse gehen und senkrecht zu den sphärischen Achsen derselben sind, und die Projection der Geraden durch die drei Punkte, von denen der planimetrische Satz handelt, ist ein Hauptkreis, welcher die drei entsprechenden Punkte der Kugel enthält. Also (Fig. 2): Beschreibt man über den beiden Achsen einer sphärischen Ellipse kleine Kreise und legt man durch einen Punkt $P$ der sphärischen Ellipse Hauptkreise senkrecht zu ihren sphärischen Achsen, so schneiden dieselben die beiden kleinen Kreise in zwei Punkten $P'$ und $P''$, welche mit dem sphärischen Centrum $O$ der sphärischen Ellipse in einem Hauptkreise liegen.

Wir denken uns jetzt (Fig. 3) ein rechtwinkliges Coordinatensystem, dessen Anfangspunkt mit dem Mittelpunkte $C$ der Kugel, auf welcher die sphärische Ellipse liegt, zusammenfällt. Die $z$-Achse gehe durch den Mittelpunkt der sphärischen Ellipse, die $xz$-Ebene falle mit der Ebene der grossen,